GAUDEO
John Carter Brown
Library
Brown University

# ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV ANNI. M. D. LXXXIV.

*AD PATRES, ET FRATRES eiuſdem Societatis.*

ROMAE.
In Collegio eiuſdem Societatis.
M. D. LXXXVI.

*Cum facultate Superiorum.*

# ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV ANNI. M. D. LXXXIV.

## PATRIBVS, FRATRIBVSQVE Societatis IESV, gratia, & pax Chriſti Domini, &c.

*CVM ex ijs, quæ vel alij perſecuti ſunt litteris, vel quotidie mandamus ipſi, Societatis progreſsiones atque incrementa contemplor, Patres Fratresq; Chariſsimi, non poſſum non vehementer perpetuam huius vineæ admirari fœcunditatem, quæ in omnes partes ſine vlla ceſſatione numeroſo fœtu ſe fundit. Nam ceteræ ſterilitatem patiuntur aliquando, nec vnoquoque anno ſemper æque reſpondent: vt enim cetera, ſic arua quietis & laboris viciſsitudinem amant, & tum vberiores efferre fruges ſolent, cum anteceſsit quies. Ceteræ etiam ſuam ſenectutem & vetuſtatem ſentiunt, nec eſt vlla tam frugifera vitis, quæ non aliquando vim fœcunditatis amittat. nā quid ego de ijs dicam, quæ extrinſecus accidunt, quæ ſæpe ſpem vindemiæ totius extinguunt? At hæc noſtra, quā dixi, vinea nulla tempeſtate fit ſegnior, nul-*

*la ſenectute gracilior, ſemper eſt ſine ceſſatione fœcunda, ſine viciſsitudine ferax. Sed quid mirũ? quando ex ea ſtirpe progenita eſt, quæ, & veram vitem ſe eſſe perhibet, & eum ſe habere cultorem, in cuius eſt poteſtate, non modo vitem colere & imbribus cœleſtibus irrigare; ſed etiam feracitatem & quotidiana incrementa largiri? Non poteſt ſempiternos non induere fructus palmes ille, qui ex generoſa & fœcunda & ſemper ſui ſimili vite prorepſerit. Dum is in vite manſerit, dum cultorum diligentia non aberit, nunquam à materna ſtirpe degenerabit. Cũ igitur tantæ ſit feracitatis hæc vinea, ſuamque benignitatem perpetuo fœtu quotannis oſtendat; ſapienter inſtitutum mihi videtur, vt eius communes fructus cum chariſsimis fratribus in commune laborãtibus per publicas litteras communicentur. Quos lætiores hoc anno plenioresve fuiſſe mirum videri non debet, cum ex iis, quæ ad euocandam vbertatem faciunt, nihil deſiderarit. Hoc enim P. N. Generali propoſitum fuit: cum filios ſuos & publicis ad vniuerſam Societatem literis, vt mox dicemus, & ampliſsimo Iubilæo à Pontifice Max. impetrato, ad renouãdam augendamque pietatem inuitauit. Vt enim aliæ vineæ, niſi ſtatis temporibus reſtituantur ac renouentur, à partu ceßent frugibuſque minus habiles fiant; ita hæc niſi recidendis iis, quibus vis diuini ſpiritus in noſtris pectoribus conſopitur, ſuo tempore reuocetur, neceſſe eſt aut funditus euaneſcat, aut largas fruges hebetata non ferat. Nunc ea animorum renouatione, quam dixi, tanquam annua putatione*

*con-*

confidimus fore, vt hæc vinea, id quod à ſuis filijs amantiſsimus Pater exigit, cæleſtibus grauidata muneribus, non modo fœcunditatis perpetuitatem teneat, ſed vberiora indies incrementa ſuppeditet: vt ex hoc ipſo poſsit conijci, quo tandem ex genere ſtirpeve originem trahat, cuius ſucco alimentiſque ſatiata, ſemper læta, ſemper onuſta fœtu conſurgit. Sed qui tandem ſint hi fructus, hic annus ipſe declaret. Additi ſunt nobis fratres quadringenti & octoginta ſex. Vita deceſſere centum circiter & triginta. Numerantur in Societate ſex millia ducenti ac fere quinquaginta, vt ex ijs litteris, quas accepimus, ſumma ſubducitur. accepimus autem ab omnibus Prouincijs litteras; ſed à quibuſdam adeo diminutas, vt multa Collegia prætermittantur. Collegia adiuncta ſunt tria. In Gallia ciſalpina Mãtuanum, Bilbilitanum in Aragonia, Iprenſe in Belgio, Domus vna Cracouienſis in Polonia. Sed de rebus noſtris hactenus vniuerſe. nunc, vt conſueuimus ſingillatim.

# PROVINCIA ROMANA.

ALuit hoc anno Fratres, Romana Prouincia quindecim ac ſexcentos. In Profeſſorum Domo centum. In Romano Collegio ac Tuſculana ſede decem circiter ac ducentos. In Domo probationis octoginta. In Pœnitentiariorum Collegio duos & viginti. In Anglicano decem. In Germanico tredecim. In Romano Seminario quinque circiter & triginta. Tybure ſexdecim, totidem Peruſii. Senis quindecim, viginti Florentiæ. In Lauretano Collegio quatuor & quadraginta. Quinque tantum in Illyrico. In Recinetenſi quatuordecim. Vno plus in Maceratenſi. Auctus eſt numerus ad quinquaginta: imminutus obitu vndeuiginti.

## PROFESSORVM ROMANA Domus.

QVanquam in hac Domo centum circiter de noſtris agunt, hoc anno tamen, quo ex omnibus Prouincijs, atque adeo ex vtraque India, Procuratorum Patrum coactus eſt cœtus, tanto magis nume-

*numerus creuit. Amiſſi ſunt tamen Sacerdotes inſignes duo Federicus Manriquez, & Franciſcus Turrianus: quorum alter quamuis eſſet infirmiſſima valetudine, ita tamen in excipiendis confeſſionum laboribus ſedulus fuit, vt ne firmiſſimis quidẽ robuſtiſſimiſque concederet. nec quiſquam dubitat, quin eius interitu præclarum virtutis & ſanctimoniæ exemplũ interierit. Alter doctrina ac probitate etiam ſingulari, Chriſti Eccleſiam aſſiduo ſemper ſcribendi labore, etiam tum cum exacta eſſet ætate, ab hæreticorum improbitate defendit. Ex hoc hominum genere det Deus Societati quam plurimos, qui & proximorum charitate flagrent, & religionis tuendæ ſtudio teneantur. Cæteri ſuis quiſque muneribus cum laude præſunt. nullus eſt in vrbe carcer nullum Noſochomium, quo non hebdomadis fere ſingulis noſtrorum ſint miſſa ſubſidia. Ex ijs, quos ſua malefacta ad ſupplicium & mortem egerant, cum alijs multis, tum duobus exulum ducibus præſto noſtri fuerunt. Ii quoniam in medijs hominum iniurijs, manus tamen abſtinebant â noſtris, quaſi mercedis loco videntur diuinitus aſſecuti, vt quo paratiores proficiſcerentur ad mortẽ, in noſtrorum potiſſimũ manus inciderẽt. Iam vero vt eos, qui & a flagitioſis amoribus, & ab odijs capitalibus reuocati ſunt, omittamus, quorum ſemper ingens eſt numerus, ea non exigua videri debet vtilitas, quod cum multis Religioſæ vitæ monſtratum eſt iter, tum ad Societatem perducti ſunt decem. nec minus in adſcribendis nouis Fratribus, quâm in confirmandis adſcriptis*

elaboratū eſt:fruſtra enim ſuſcipiatur labor,ſi quorum opera diuino ſpiritu replendi ſunt ceteri,eo ipſi funditus careant.Itaq; ad renouandam, vt dixi,vim ſancti Spiritus,omnes in hac domo familiarium collocutionibus amputatis , ceteriſque poſthabitis curis , ad dies aliquot in ſuum ſe cubiculum abdiderunt:vt & cum Deo ſermocinari inciperent, & Societatis more in contemplatione ſupernarum rerum atque cœleſtium animum exercerēt . Hoc quaſi paſtu,noſtrorum mens ſaturata,vix dici poteſt,quanto ſit alacrior & vegetior effecta ad omnium officiorum munera rite & cumulate exſequenda . Atque hæc,quæ de hac Domo ceterarum omnium quaſi parente dicimus,ea,ne in ſingulis ſint iteranda locis,de vniuerſa Societate intelligi volumus . Multum ad eam rem attulit adiumenti tum P. Noſtri Generalis per litteras cohortatio ad vniuerſam Societatem, tum Pontificium Iubilæum,quod idem Pater ſingulis, qui adhibita anteactæ vitæ confeſſione , in eam quam dixi,renouationem incumberent , impetrauit. Dum omni cura diuino cultui gloriæque ſeruitur, dum & propria & aliena ſalus curatur,Deo quoq; viciſſim de noſtris commodis curæ fuit.Quo tempore Procuratores Patres vna conuenerant , Gregorius xiij. noſtræ non ignarus inopiæ mille aureis nummis ſubſidio venit.quæ vero templo noſtro priuatorum liberalitas detulit , ea mille amplius aureorum & quingentorum ſummam efficiunt . Matronæ porro tres nobiliſſimæ aureos item mille ſingulæ,ad ornandum in honorem Dei Matris ſa-

cellum

cellum elegans obtulerunt. Cardinalis vero Farneſius huius auctor extructorque Baſilicæ, ne quem annum ſuæ liberalitatis pateretur expertem, ſex amplius aureorum millia ad diſſoluendum æs alienum, quod ædificij cauſſa contractum erat, attribuit. Ad exitum Aede ſacra perducta, nec dum vſitatis religionibus dedicata, certus Dedicationi dictus eſt dies. ea ſeptimo Kal. Octob. a Cardinali S. Seuerinæ cum Epiſcopis quatuor, ſumma cum cæremonia, obſeruatis rebus omnibus, vt ſolennia ac iuſta conſecrationis poſtulant, conſecrata eſt. Enituit in ea religione, præclara tum Cardinalis, tum Epiſcoporum pietas, quos affecta iam ætate viros, non magnitudo laboris, non multiplex ac diuturna cæremonia, non longa & præſentis & antecedentis diei defatigauit inedia. â prima luce vſque ad tertiam poſt meridiẽ horam in eo munere pie conſtanterque perſeuerarunt. Magno ſplendore, magno virorum mulierumque conuentu celebrata res eſt: duoque illa decora ſanctorum corporum Abundij & Abundantij, vt ſub aram maximam conderentur, inſtructa itẽ ſupplicationis pompa, circumlata ſunt. Idibus Auguſti, qui dies Aſſumptæ in cœlum Virgini feſtus eſt, redijt ad eum celebrãdum colendumq; diem, quemadmodum ſuperiore anno fecerat, Summus Pont. Qui hoc etiam magis noſtra delectatus eſt æde, quod & paulo iam erat ornatior, & præclara quadam Eucbariſtiæ ſede ac domicilio illuſtrabatur. eſt enim multorum opus annorum, cum magnitudine nobile, tum artis varietate diſtinctum: fulget auro, accen-

ſoque

ſoq; colore, plurimiſq; ſacrarum hiſtoriarum argumentis illuminatur: vt quocunque figas obtutus, nouo ſemper delecteris aſpectu. itaque cum recens ad oculos hominum eius pulchritudo peruenit, magnam habuit celebritatem & plauſum.

## COLLEGIVM ROMANVM.

QVæ de Collegio Romano ſcribenda videbantur, ea quanquã in omnẽ Societatẽ, aut priuatis litteris, aut rumore nuncio perlata iã ſunt: tamẽ quoniam ea cupidius à publicis fortaſſe litteris expectantur, non tam quod noui aliquid afferant, quã quod præteritæ memoriæ veritatem confirment: nos pauca quædã de noui inſtauratione Gymnasij, quæ litterarum commendationem deſiderant, perſtringemus. Gymnaſium hoc Gregorij xiij. liberalitate, biennio ante inchoatum, vbi in eam formam videbatur eſſe perductum, vt non modo veteres ſcholas, ſed etiam multo maiorem auditorum multitudinem capere poſſet: noſtri antequam initium docendi facerent, ad exiſtimationem noui Gymnasij, cum eodem Summo Pontifice egerunt, vt quando tam præclari operis auctor eſſet, non alienum duceret dignitate ſua, ſuo id aduentu cohoneſtare. Quorum poſtulationi cum benignus Pontifex annuiſſet, diemq; aduentus ſui definiuiſſet; noſtri quo maiore ſplendore apparatuque res gereretur, totos ſe pro ſuo quiſque ingenio ac facultate, ad eum diem exornandum atque illuſtrandum contulerunt. Sed quo magis res

ob oculos proponatur, tradenda eſt prius breuiter ædificij deſcriptio. Conſtat hoc Gymnaſium ſcholis, vt nunc quidem eſt, vndecim, ſi loca duo, quæ duabus ſodalitatibus Dei Matris, ad earum conuentus ſepoſita ſunt, eximamus. Atque vt nihil de externa Gymnaſij facie loquar, quæ ad ſui contemplationem viatores vel nolentes inuitat: nihil de amplitudine ac dignitate pateŕtis introitus, qui quantamuis turbam facile admittit & reddit; nihil de nobili ſcalarum aſcenſu; nihil de cetera elegantia dicam, quæ non modo nouos & peregrinos tenet oculos, ſed etiã aſſuetos: cingitur tum inferior, tum ſuperior Gymnaſij pars ampliſſimo periſtylio. in vtraque binæ à latere excurrũt porticus, maxima laxitate, vbi oblectationis cauſſa pererres. Superiores pilis ac paraſtatis diſtinguũtur, egregijſq; menianis ad proſpectũ ſimul & venuſtatem. Inferiores excipit atrium per amplum & iter ad domeſticas ædes. Eſt in ſuperiore Gymnaſio ad publicas litterarum exercitationes aula perampla, quæ varijs ornata picturis omnium oculos in ſe conuertit. Offert ſe primum ingredienti Gregorius xiij. aula in extrema: qui ſublimi ſedens in ſolio cum Cardinalium corona comitatuq; quamplurimo porrecta dextera ſupplicibus benedicit. accidunt ad pedes ſupplices tum è Collegio noſtro cõplures, tum ex alijs ab eo inſtitutis Collegijs lectiſſimi adoleſcentes. Hinc, vbi ad aulæ latera conuertis aſpectum, pictos vndique cernis parietes pulcherrimis ædificijs. ea ſunt Gregoriana Collegia, quæ pius Pontifex Religionis propagandæ ſtudio in omni ter-

terra-

terrarum orbe cõſtituit. Sex à dextra, ſeptem viſuntur à læua. nam & in Lituania Vilnenſe, & Claudiopolitanum in Tranſiluania, & Iaponica deinceps tria, cum Seminario Fuldenſi à dextro latere cerni licet. A ſiniſtro Viennenſe in Auſtria, Illyricum in Piceno, ac Romana deinceps quinq;. nam ad ea, quæ Romæ conſtituta iam pridẽ erant, acceſſerunt Neophytorum Græcorumq; Seminaria, proximeq; Maronitarum. Aulæ frons deſcriptionem refert Romani Collegij maxima illa pictura, quam dicebamus, incluſi. id tanquam caput ceterorum, in capite quoque ſibi locum vendicat, multo ceteris ampliorem atque honeſtiorem. Huic è regione in ipſo aulæ aditu reſpondent Collegia quinque, opere tamen & pictura tenuiore: Muſſipontanum in Lotharingia, Brãſpergenſe in Pruſſia, Holcmucenſe in Morauia, Græcenſe in Stiria, Pragenſe denique in Bohemia. Atque hac varia multiplicique pictura, tanquam explicata veſte, omnis vndique ornatur & diſtinguitur aula. His, quæ dixi, Collegijs tanquam animus additum eſt perelegans carmen, vnius Poetæ opus; qui cum præcipuam in aulæ fronte picturam altero atque altero Epigrammate clauſiſſet, ſingulis poſtea Seminarijs ſingula appinxit. Ex hoc fere genere reliquus conſtabat ornatus. Erant ambulationes tum ſuperiores tum inferiores, quaſi ſertis quibuſdã carminum redimitæ. Epigrammata genus quoddam poematis diſtinguebat, quod pictum argumentum cũ Poeſi coniungit. His emblematis ornabantur intercolumnia, vt non tam oculos picturæ varietas, quã

ani-

ânimum argumenti vtilitas oblectaret. His ita diſpoſitis atque deſcriptis, V. Kal. Nouemb. qui dies SS. Apoſtolis Simoni & Iudæ feſtus & ſacer eſt, in ſuum ipſe Gymnaſium Pontifex venit. Quod vt à multitudine animaduerſum eſt, tãta cõfluxit vndiq; turba, vt quanquam eam per antecedentes ſatellites ſubmoueres, ſubſiſtere tamen interdum Pontifex, & inter anguſtias cogeretur incedere. Inuiſit aulã ita ornatam vt demonſtrauimus, ea ſignificatione lætitiæ, vt vel eo tacente, quàm probaret omnia, ipſa oris hilaritas indicaret. Aſſedit in ſella excelſo loco poſita & apparata magnifice in ea aulæ parte, vnde ſuam ipſe ſpectabat imaginem. Hic habita eſt ab vno de noſtris oratio cũ neceſſaria laudatione Pontificis, quæ tum beneficiorum commemorationem, tum gratiarum actionem contineret. Sed cum ſuis nequaquam laudibus ſingulari moderatione Pontifex caperetur, vt perorandi finis eſt factus, Deo, inquit, honor & gloria. Secundũ hæc, ſcholas omnes inſpexit formamq; è ligno, qua præcipitur, qualis ſit futuri Collegij deſcriptio. Quæ omnia viſus eſt mirifice comprobare. Poſt octauum diem, Nonis Nouẽbris inchoata eſt varia & multiplex inter auditores noſtros exercitatio. eaque in dies plures ita partita, vt primus dies altercationibus Theologicis, alter Declamationi cuidam de principatus contentione inter Romam veterem ac nouam: tertius diſputationi de arbore vitæ, quam rerum omnium effector Deus iã inde ab orbe condito, in horto illo amœniſſimo collocauit: quartus egregio carmini dicaretur; quo quærebatur,

*batur, quæ eſſet optima ratio tranquillæ pacatæque vitæ. Habitus eſt eo qui conſequutus eſt die de ſtudio trium linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ Dialogus. Die vero ſexto Philoſophica concertatio. Atque hoc quaſi ſex dierum opus, clauſit poſtremo die noſter Orator, qui ad amorem ſapientiæ iuuenes cohortatus, quaſi fundamenta iecit ineuntis & conſequentis anni. Sed quoniam primis ſcholis, omnes ferme Doctores ſolenni quadam conſuetudine in ſua quiſque claſſe præfantur, inita eſt huiuſmodi ratio, vt omnes ab omnibus audiri poſsint. Itaque in Theologiæ ſchola perampla ac magnifica, biduo duodecim, magno ſilentio, maiore cum aſſenſu auditi ſunt: terni matutini, terni item pomeridiani. quibus proluſionibus primos ſibi aditus ad conſequentes ſcholas aperuerunt. Hæc erant quæ de nouo Gymnaſio mandanda litteris videbantur. Reliqua, quæ de animarũ quæſtu vtilitateque dici ſolent, vt vno verbo complectar, ea fere ſunt. Domi additi ſunt ad Societatem ex minore Sodalitio adoleſcentes tres, totidem fere ex eo, quod è natu grandioribus conſtat. Foris autem ſtrenua data opera eſt ſerendis colligendiſq; fructibus. ſed quoniam nihil eſt in hoc genere ſingulare, attingendum potius id breuiter fuit, quam pluribus perſequendum.*

## SEMINARIVM ANGLICANVM.

*NOuum huic Collegio decus acceſsit ex Georgio Hadoco & Thoma Hemefordio pro religione*

*gione necatis in Anglia. Eorum alter dum palam de amplectenda religione cum hæreticis agit, comprehenditur, in carceremque conijcitur. Aetate erat ille quidem etiam tum adoleſcens, ſed oris habitu videbatur adoleſcentior: atque hoc facilius ſperabant eum hæretici à religione Catholica dimoueri poſſe. Itaque priuſquam ad quæſtiones & tormenta deſcẽdant, argumentis & rationibus agunt. Ex ijs quidã, vbi ſenſit, nihil ſe diſputando proficere, ira incenſus, vt accuſationis anſa præberetur, quærere ex eo cœpit, an Regina eſſet Anglicanæ caput Eccleſiæ, cui Sacerdos, quo tandẽ iure id me rogas? An ignoras, quoniam ad hæc interrogata capitalis eſt reſponſio, in legibus cautum eſſe, ne Reginæ iniuſſu id rogari quis poſsit? Si Chriſti famulus eſſes, inquit ille, næ tu libere teipſum proderes, nec quo iure, quave auctoritate te rogem interrogares. Hac commotus voce Sacerdos, Tu ne mihi, inquit, timorem obijcias? tali præſertim in cauſa? Vide, quam non reformidem, nego Reginam eſſe Anglicanæ caput Eccleſiæ, nego eſſe poſſe. Quis ergo caput? Romanus Pontifex. Heu proditor, exclamat hæreticus, iccirco hæc audes, quia non adeſt teſtis idoneus, qui tuo te ex ore conuincat. Tum Sacerdos, ſcilicet is ſum, qui teſtimonium hominis pertimeſcam. non ita eſt. Sed quoniam laceſsitus a te ſum, libere ego quam religionem profiterer, aperui. Quin orationem, inquit, iſtam tuo chirographo firmas? Quoniam per chartam, Sacerdos inquit, & atramentum non licet, ſcribam vt potero, arreptoque carbone, in ſummo ſui cubiculi oſtio ita*

ſcripſit. Gregorius xiij. Anglicanæ & vniuerſalis Eccleſiæ caput. Huius nutui atque imperio neceſſe eſt tam ipſa Regina, ſi ſalua eſſe velit, quam mundus vniuerſus obtemperet.

*Hæc Georgius illuſtribus litteris cum ſcripſiſſet, Miniſter abſceſsit: ille vero ex conſcientia præclari facinoris quotidiana mortis expectatione ſuſpenſus ſeruabatur in carcere. ea tamen cum differretur, quidam è Catholicis perſuadere homini conabantur, vt notas illas litterasque deleret, ne aduerſarios irritare voluiſſe temere videretur, præſertim cum ex ea ſcriptura, planum iam omnibus eſſet factum, quã tandem profiteretur Eccleſiam. Ille vero, vel quod viri nõ putaret, id quod præclare factum eſſet, euertere; vel quod ea re offendi non mediocriter poſſet, quiſquis eas litteras de Catholicis inſpexiſſet, præſertim quod cuſtodem carceris tam conſtanti confeſſione in ſuam ſententiam pene perduxerat, amicorum conſilijs ac monitis minime parendum exiſtimauit. Ad extremum hæretici cum intelligerent, ſuas omnes artes, quas ad conuellendam Georgij conſtantiam admouerant, irritas eſſe; produci eum iubent ante tribunal, ſocioſque tam glorioſi certaminis illi adiungunt Thomam Hemefordium & Ioannẽ Mundinum huius Seminarij alumnos, & alios duos è Rhemenſi Collegio. Hic per ſummam ſeueritatem interrogati, conſtantiſsimi in religionis ſententia reperiũtur. Ad Georgium autem conuerſi iudices, miſeratione commoti tam florentis ætatis, Quæ eſt iſthæc, inquiunt, tua tanta temeritas, qui id ætatis, ſeniorũ*

*conſilia*

conſilia prudentiamque contemnas? Dede te, ſi ſapis, & iſtius te adoleſcentiæ miſereat, pigeat florem iſtum perdere ſine lucro. Tum Georgius nihil eſt, inquit, quod mei miſeratio vos teneat, aut quod hæc ætas vlla vos ratione perturbet. ſat matura Deo eſt, ſat tempeſtiva ſecuribus: quæ quo citius ſuo creatori redditur, eo illi eſt futura iucundior. Equidem in optima cauſa, ſoluo libenter quicquid veſtra non æquitas ſed crudelitas exigit: ſcio cui credidi & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem iuſtus iudex. Iudices cum fruſtra Georgij tentari conſtantiam animaduerterent, ad extremum ſententiã capitis ferunt, non in Georgium modo, verum etiam in reliquos ſocios. quam illi tanta non modo æquitate animi, ſed etiam gaudio atque hilaritate ſuſceperunt, vt in ſummis Dei beneficijs pœnam illam necemque reponerẽt. Reducuntur ſecundum iudicium in cuſtodiam, vbi aſſiduis precibus dies nocteſque ſe comparabant ad mortem: ad quam octauo poſt die iterum educuntur. Iubentur ſupra crates ex inſtituto decumbere, & ad caudas alligati equinas ad carnificinam vſque raptari. ea ab vrbe abeſt paſſus circiter mille: quo vt ventum eſt, Georgius ferali plauſtro primus imponitur, erat enim miniſtris in animo ad deterrendos ceteros noua in eum crudelitatis edere documenta. itaque in ipſis Sociorum oculis hominem reſte ſuſpendunt, vt ea repente præciſa, viuo adhuc atque incolumi pectus ferro diſcinderent, & cor cum inteſtinis auellerent, ceteramq; de more feritatẽ expromerent. ſed

*vana fuere conſilia. nam qui laqueum debuit repentino ictu ſuccidere, ſuaque celeritate interitum cadentis corporis anteuertere, tam oſcitanter ſuas partes egit (id quod ijs plerunque contingit, quos præpropera feſtinatio ad opus adigit) vt ante corporis caſum, laqueiq́; præciſionem, animã ſacerdos efflarit. Reliqui nihil huius nece commoti, quin confirmati potius (nouo quippe aucti deprecatore patronoq́; apud Deum) plauſtro ipſi quoque imponuntur ac ſuſpenduntur. His carnifex vt negligentiam præteritam reſarciret, tanta reſtem celeritate præcidit, vt viui illi ſtantesq́; deciderint, conuerſis ad ſydera vultibus, oculiſque ac nutibus, verbis ac vocibus Religionem Catholicam profitentes. ea res immanitatem carnificum ſic exacuit, vt in rabiem efferati repente in ea corpora tanquam Moloſſi canes irruerint, vt ea viua adhuc calidaq́; quam acerrimis tormentis excruciarent. itaque non quidem celeriter, vt mos eſt, ſed lentiſſime ac pedetentim aperire ventrem atque abdomen incipiunt, cum illi interim clamabant identidem, Dominus meus & Deus meus. Quæ voces etiam tum à circumfuſa multitudine exaudiebantur, cum cruentæ carnificum manus in ima viſcera condebantur: ea totis auulſa viribus cõijciebantur in ignem. ſequebatur totius pectoris fœda diſſectio: quod quidem ne tam cito veniretur ad cor domicilium ſedemque vitæ, tanta lentitudine ſcindebatur, vt ad id ſpectaculum omnis horreret aſpectus. dempto corde viuiſque prunis iniecto, tũ demum amputata ſunt capita. hæc ſummis præfixa*

*contis*

contis ad ludibrium terroremq́; Catholicorum in ſublime ſublata ſunt. reliqua vero corpora in partes diſſecta quatuor, vrbanis turribus ac murorum pinnis affixa. Atque hac diuiſione corporis ac diſcerptione membrorum Beatæ illæ mentes indiſſolubili ſe cum Deo vinculo coniunxerunt.

## DOMVS PROBATIONIS & reliqua vrbana Collegia.

ADmiſit Probationis Domus Nouitios vnum & quinquaginta, ijque de more ad omnem Societatis diſciplinam erudiuntur. In ſuſcipiendis Nouitiorum more peregrinationibns (vt hæc quoque minuta tangamus) quidam cum aberraſſent à via, eſſentq́; , id quod neceſſe erat, maxima in egeſtate, obuiam fit eis vir primarius expeditus in curru cum familia & comitatu, qui cum ſuo veniret ex oppido, vt noſtros aſpexit, ſciſcitatus an eſſent ex Societate, moleſtum ſibi eſſe dixit, quod ab ædibus longe abeſſet, aberat enim ab oppido paſſuum millia fere decem: ſed tamen imperauit, vt eò noſtri deducti victu ceteriſq́; rebus, quam liberaliſſime & commodiſſime haberentur. itaque ea nocte tanquam domini ſunt excepti. nummos etiam obtulit & iumenta, eaq́ue ſine recuſatione accipi voluit: vt intelligi poſſit, quanta ſit diuinæ prouidentiæ in ſuos famulos cura, qui, quanto magis illi ſe deſerunt, & in Deo ſua ponunt omnia, tanto ijs proſpicit affluentius. Sed non minus ille domeſticorum, quam peregrinorum

*ſubuenit inopiæ. Acceſsit enim ſeptingentorum aureorum penſio ad annum vſque vigeſimũ. quam quidam de Societate cum Abbatiam, quam obtinebat in ſæculo, reſignaret, Summo Pontifice approbante reliquit. Ex alterius item bonis, qui ſe Societati dicauit, aurei quotannis duceni quinquagenique ſunt attributi.*

*IN Collegio Pœnitentiariorum complures, qui è varijs hæreticorum regionibus huc ſe contulerant, ad Eccleſiam reducti ſunt. Vnus & idem Sacerdos quindecim interdum ex his abſoluit, eoſque tum ad deteſtandos errores, tum ad ſuſcipiendam profitendamq; religionẽ adduxit. Aliqui etiam, qui, cœnobiorũ religione deſerta, vxores duxerant, liberoſq; ſuſceperant, relictis omnibus ad ſua quiſque cœnobia noſtrorum monitis redierunt.*

*E GERManorũ Collegio nihil eſt hoc anno præcipui. Quatuor ex his ad noſtras vitæ rationes adiũcti ſunt. reliqui ita ſe inſtituunt, vt ab ijs non tam hoc tempore poſtulandi ſint fructus, quam vberrimi in poſterum expectandi. ita præclarus eorum euentus, qui in ſuas dimiſsi ſunt patrias ſperare iubet: quorum tum virtute, tum in rebus gerẽdis induſtria, huius Collegij diſciplinæ mirifice commendatur: vt planius ex his ipſis litteris perſpici poterit.*

*Iam in Romano SEMInario non minor pietas, vt teſtatur vtilitas. Dedit Societati noſtræ ſpectatæ indolis adoleſcentes vndecim. Ex ijs quidam cum oblata ſibi a ſuis Abbatia, vt Societatis conſilium abijceret, tentaretur, quod dicerent, eum tradendo*

*rudi-*

rudibus Catechiſmo, non minus Chriſtianæ Reipub. prodeſſe poſſe, quam ſi in noſtro numero verſaretur: is non modo in ſententia repertus eſt conſtans, ſed eam, quam dixi, Abbatiam ſuis ſibi habere iuſsit. quæ res ita eius eſt probata patruo, vt ipſemet Societatis ineundæ poteſtatem à Sabellio Cardinali, qui Seminarij patronus eſt, impetrarit, & Nouitiorum eum Magiſtro dicarit. Ex eodem numero adoleſcens cum Societatem haberet in votis, in grauem & periculoſum morbum incidit. quocirca ſuum de Societate conſilium parenti non dubitauit exponere. Pater, qui id ex alijs ante cognouerat, etſi præferuidæ ætati non ſatis credebat: tamẽ cum quotidie magis inflammari filij ſtudium animaduerteret, ſpopondit ſeſe eum Deo, ſi cõualeſceret, dicaturum, nullaq; interpoſita mora, filij cauſſam apud Patrem Generalem vehementer egit. Interim adoleſcens ardore febris de poteſtate mentis exierat: ſed vt ad eum Pater re impetrata reuertit, præ lætitia ad ſeſe rediјt. id quod illi in eo morbo non ſemel contigit, præſertim in extremo: cum enim deterius ſe haberet indies & aliena loqueretur, ſimulac Euchariſtiæ viaticum allatum eſt, mens iterum rediјt, tantaque conſtantia ac pietate Chriſti corpus accepit, vt nullum alienatæ mentis veſtigium appareret. Sed quod longe admirabilius eſt, ſibi ipſe vaticinatus eſt mortem, nam inter initia morbi negauit, ſe ex eo lecto, vbi decumberet, ſurrecturum. nonnullisq; diem ipſum mortis, quibuſdam etiam horam ante prædixit. nec vana cecinit, eodem enim die eademq; hora comper-

*tum eſt obijſſe. Conditus eſt in templo noſtro tanquam vnus è noſtris: eiuſq; pater tam præclara morte plurimum recreatus, multo moderatius tulit vnici iacturam filij.*

## TYBVRTINVM HETRVRIÆQ. Collegia.

T*Ybure adductus eſt ad Chriſtum non ignobilis Turca: inſtitutaq; è ciuibus magno pietatis incremento ſodalitas.*

*SENIS autem adiuncti ſunt fratres duo. Nec deſunt viri nobiles, qui ad res gerendas Societatis opera vti velint, multiq; quanti nos faciant, ſubleuanda ſuis opibus inopia noſtra declarant. nam cum annuis fructibus vix, aut ne vix quidem, Collegij pars ſuſtentetur; tanta fuit priuatorum hominum liberalitas, vt ea non modo neceſſarijs vitæ vſibus prolixe cumulateq; ſubuenerit, ſed etiam in ſacram ac domeſticam ſupellectilem redundarit. Noſtri quantum in ſe eſt, ſuam non patiuntur operam à quopiam deſiderari. ac dum de more ſæpe vocantur ad ægros, illud accidit non tacẽdum. Nobilis mulier cum filium haberet ægrum, plus diuinis, quam humanis artibus tribuens, Sacerdotem noſtrum accerſiit, iuſsitq; aliquid ex eo liquore, qui è Beati Andreæ corpore manat, ægro præberi: tanta eius fuit tum pietas tum fiducia, vt*

quam-

quamuis in puero febrim paulo ante medicus deprehendiſſet; ea tamen diuino illo medicamento receſſerit.

DE Florentino Collegio multis omiſsis, hæc fere ſunt, quæ litteris mandari poſſunt. Triginta amplius è publicis ſunt educti cuſtodijs: familijsque compluribus, quas à mendicando pudor ingenitus deterrebat, piorum liberalitate ſubuentum. Nec tamen his officijs ciuium vincuntur officia. nam vt nihil de veteri beneficentia, qua nobis templum exædificarunt, dicamus, multæ ſunt præterea pecuniarum ſummæ huic tributæ Collegio. Quidam cum mutuum nobis dediſſet argentum, dieſq; ſolutionis adeſſet, negauit ſe commiſſurum, vt quod ab argentarijs cœleſtibus ſibi redditum iri confideret, id è terreſtri trapezitarum menſa repeteret, atque ita debitum nobis vltro remiſit. Matrona etiam noſtri nominis ſtudioſa, vt viua quicquid potuit è ſuis opibus ad nos tranſtulit (omnē enim fere templi ſupellectilem apparauit) ita in morte ſuarum fortunarum nos hæredes inſtituit; atque, vt ne tum quidem diuelleretur à noſtris, in æde quoque noſtra ſepulturam ſibi delegit. Nec vero diſcipulorum ſilenda benignitas eſt, qui cum Philoſophiæ magiſtrum, reuerſurum in patriam cognouiſſent, plenum ei marſupium ad ſubſidium itineris attulerunt. quod ille aurum cum è Societatis inſtituto reſpueret, nec vllo nomine, vt id acciperet, induci poſſet, ij marſupio in Gymnaſio poſito diſceſſerunt. poſtero die cum eos Rector de Societatis legibus ac conſuetudine docuiſſet, vix tandem perſua-

ſit, vt pecuniam, quam reliquerant, auferrent. Hanc ciuium erga nos voluntatem ſimili Deus liberalitate remuneret.

PERVSII vt à cõmunibus abeamus, viginti circiter adoleſcentes Deo ſe in varijs religioſorum ordinibus deuouerunt. Mulieres præterea, quæ ſuis corporibus ad quæſtum & libidines abutebantur, ad pudorem & ſanctimoniam reuocatæ ſunt. In his quædam, cum è ſuis ſordibus emerſiſſet, multis comitata matronis in publicum prodijt tanquam in ſupplicationem, albis induta veſtibus, capitque ſpineis redimita ſertis, ac de ceruicibus fune ſuſpenſo: ita præeuntem Crucifixi imaginem ſequebatur, tanta ſignificatione doloris ex anteactæ vitæ recordatione, vt ipſe oris habitus commutati animi index eſſet. Ad templum vt ventum eſt, locum ſcandit excelſiorem, ad eam rem apparatum: ac dum concionator noſter pro re nata verba facit, omni animi demiſsione ante ſignum Crucifixi proiecta tantos motus in omnium animis concitauit, vt niſi cœnobij locus excluderet, quò genus hoc mulierum ſeſe recipit, meretrices in id multæ ſeſe protinus incluſiſſent. Iam è placatis odijs inſigniora ſunt illa. Diſcipulorum contubernium mutuis odijs diuiſum atque diſtractum in partes (nam eductis è vagina gladijs mutuam iam in cædem conſpirauerant) ſacerdos noſter admonitus ſeducendis factionum ducibus pacatum reddidit ac tranquillum. Ciuis, qui militarem profitebatur artem, vt ſtudium pietatis occuleret, furtim ad conciones conſueuit accedere. tulit ſuo tempore fructũ pieta-

pietatis ſuæ. nam ab inimicis grauiter vulneratus cũ inuiſeretur à noſtris, eorum hortatu, aduocata ſua ipſe parente cæteriſq; propinquis, vehementer ab eis contendit, vt abiecto vlciſcendi conſilio, impunitatem percuſſoribus darent. atque hac animi affectione Eucharistiæ viaticum poſtulauit: quod cum initio negaretur, propterea quod nulla tum eſſet ſuſpicio mortis, ille tamen poſtulandi contentione vicit, vt afferretur. quo accepto ſacro etiam ſe oleo ad ſubeundum cum communi hoſte certamen, deliniri iuſsit; nec ita multo poſt conuerſus ad Patrẽ, Abeo, inquit, è vita Pater, abeuntem tuis precibus adiuua, & a peccatis abſolue. Vix eum à noxis Pater abſoluit, cum corpore ſolutus eſt animus, tum demum felix, tum demum beatus, cum vtriſq; vinculis expeditus toto impetu ferretur in cœlum. Ad Societatem adiũcti ſunt nouem. ex his quidam cum diu Rectorem vt reciperetur, vrgeret, Rectorque ea de re parentem admonendum exiſtimaſſet, præ dolore parens obmutuit; deinde in furorem rabiemq; conuerſus, vehementer in nos exarſit. retulit iras domum, ſed paucis diebus filij prudentia mitigatus, & eas poſuit, & ad Rectorem veniæ cauſſa reuertit: excuſataq; prima illa concitatione animi, quam ſæpe regere in manu noſtra non eſt, Societati filium, ne Deo vocanti reſiſteret, conſecrauit. Hactenus de Hetruria. Nunc de Piceno perpauca.

# LAVRETANVM ET reliqua Collegia.

*LAuretani Collegij acta à ſuperiore anno fere non diſcrepant. Bauariæ Dux pro ea,qua eſt in Societatem beneuolentia, ad Rectorem litteras dedit cum argenteo candelabro, quod ædi illi dicabat: iubebatq; ijs litteris alba ex cera candelas ad Dei Matris aram ſtatis accēdi temporibus, ſimulq; Rectorem rogabat, vt ſibi per litteras ſignificaret, quantum æris videretur opus ad perpetuos in eam rem cenſus conſtituendos: tantundem enim ſe curaturum. Steterat id candelabrum aureis mille ducentis, neque hac liberalitate contentus, alia inſuper munera non ita multo poſt (datis item ad Rectorem litteris) miſit. ea nos quoniam non multum ad rem noſtram faciunt, præteriri facile patiemur.*

*HVIC Collegio Illyricum eſt adiunctum, cuius numerantur alumni fere triginta, ex eoq; iam prodiere Sacerdotes quatuor ad colendam Chriſti vineam ſatis inſtructi. vt autem celerior ſtudiorum futurus ſit curſus, Magiſter alter explicandis Conſcientiæ quæſtionibus, quibus illi dant operam, adiectus eſt. Duo ſe Societati noſtræ ex ijs adoleſcentibus dedicarunt, totidemque miſſi ſunt Romam in Seminarium.*

Ma-

MACERATAE cũ eſſet in more poſitũ, vt ad tollendas ciuiles diſcordias tres quatuorve è ciuium numero legerentur, hoc anno è Societate lectus eſt vnus, ab eoque diuina ope perfectum, vt cum multæ extitiſſent ante diſcordiæ, eæ fere ſedatæ ſint vniuerſæ.

RECINETI vir primarius cum grauiter ægrotaret, nec vllius ſuaſu poſſet, vt peccata confiteretur induci, noſtrorũ colloquijs deſtitit de ſententia, expiatisque rite peccatis Societatem, a qua prius alieno erat animo amare cœpit. Filium, qui rei familiaris cauſſa diſsidebat à Patre, nec vlla ciuium aut propinquorum auctoritate reduci poterat ad concordiam; vnus è noſtris ope auxilioque diuino, & ad Patris reduxit obſequium, & vt contumaciæ veniam peteret, perſuaſit. Mutuæ præterea repreſſæ ſunt cædes, præſertim duorum fratrum è nobilitate præcipua, quorum alter alterum ſtricto gladio furens inuaſerat, qui tamen noſtrorum auctoritate, non modo ſe à cæde continuit, ſed confecta pace, longo interuallo rite animum expiauit. Apud Samnites, principes inter viros pax item eſt conciliata grauiſsima. Quatuor autem & viginti in Vrbeueteri. qua re permota ciuitas de conſtituendo in ea vrbe Collegio per legatos agere cœpit: ſed cum eſſet à P. Generali reſponſum, prouidendum ſibi potius eſſe, vt vetera firmarentur, quam vt noua Collegia conderentur; poſtulauit, vt per eum ſaltem ſibi liceret, concionatorem

quem

*quem de noſtris habebat, diutius retinere. quod facile impetrauit. Hæc de Piceno totaque Romana Prouincia. nunc pergamus ad reliqua.*

# PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

FVerunt in Mediolanenſi Prouincia fere ducenti. In Profeſſorum domo 40. In Brerano Collegio 70. In Genuenſi duo ac triginta. In Taurinenſi 20. Vndecim Nouocomi, Vercellis ſeptem, Aronæ duo circiter ac viginti. Ex hoc numero tres è vita migrarunt: Recepti ſunt Societate viginti.

## DOMVS PROFESSA Mediolanenſis.

MEdiolanenſis ager Sociorum labores ac ſtudia magno fœtu remuneratur. Et vt à Profeſſorum Domo ordiamur, celebrant in ea iuge Chriſti conuiuium octauo quoque die circiter mille. expiantium vero peccata ſeu vetera ſeu recentia maior eſt numerus, quam vt iniri poſſit. Non hoc ſuſcipiam, vt ſingula Societatis munera, in quibus & fratrum virtus, & animorum fructus enituit, oratione percurram. vt quid egregium in vnaquaque re fuerit, ita à nobis commemorabitur. Ingens auri vis, partim fraude partim inſcitia iuris adempta, ad ſuos dominos rediјt. Negotiator vnus aureorum mil-

millia quadraginta reſtituit: aliuſq; tam multa, vt ex ijs quotannis caperet aureorum duum millium vectigal. Plurimi, qui diuturnas animi labes, aut nunquam confeſſione deterſerant, aut in ea taciti prӕterierant, eas tandem eluere induxerunt in animum & ſuam omnem turpitudinem aperire. Senex in his quidam nunquam rite confeſſus, cum de inferorum incendijs diſputantem energumenum audiſſet, metu perterritus ad Sacerdotem accurrit, totumque peſtilentiӕ virus euomuit. Verum vt vrbana vitia, quibuscum depugnatum eſt, & commoda, quӕ ciuibus ſunt accerſita, mittamus: externa potius proferemus in medium, à quibus illa & pondere ſuperantur, & copia. Ad Griſones ſeu Rhӕtios, Sacerdotes deſtinati ſunt duo, quorũ vbique opera, prӕcipueq; Rogoreti tum concionibus habendis, tum explanando catechiſmo conſumpta eſt. Et quoniam iniquas fœnerationes in his regionibus lex prope nulla vetabat, cautum crebris monitis eſt, & ne quid fœnori detur, & vt male parta reddantur. Sed dum in ſanandis vitijs noſtrorum deſudat induſtria, inuidus aduerſarius, vt omnia euerteret, ſerere diſcordiarum ſemina inter ipſos Griſones cœpit. Sunt autem inter ſe Griſones, vt alijs litteris ſignificatum eſt, trium quaſi Societatum fœdere copulati, quarum vna, vbi noſtri fuerunt, è Catholicis ferme conſtat. reliquӕ è Zuinglianis Lutheraniſq; promiſcuè. quӕ quidem Societatis Catholicӕ magiſtratibus obiecerunt, ab ijs dynaſtam alienigenam, & Ieſuitas eſſe receptos. Ieſuitis enim in ea loca penetrare Gri

ſonum

onum per edicta non licet, quod dicant id hominum
enus nec Catholicis aſſentiri nec Lutheranis, ſed
que omnibus fidem prodere, & quod minime fe-
endum eſt, nouos faſtos inducere, noua cudere ca-
endaria. Reſponſum à magiſtratibus eſt, quod ad
Principem alienigenam pertinet, Cardinalem Bor-
omeum (de eo enim agebatur) illum quidem &
Principem fuiſſe, & principatu digniſſimum, ſed ta-
nen non modo ipſum nullo telorum genere, nullo
umero militum, Griſonum eſſe fines ingreſſum: ſed
e eius quidem famulis ſatis fuiſſe ferri ad diuiden-
os, quos conficerent, panes. cumque ea gens Catho-
corum ſe partes ſequi profiteatur, honorem habe-
e Catholico Antiſtiti voluiſſe, & ei Antiſtiti, qui
t ſuos in Chriſto filios ad veræ religionis normam
ationemq; dirigeret, id itineris ſuſcepiſſet: quare id
ictum nec reprehenſione videri dignum, nec con-
ra fœdera pactioneſq; Societatum. Quod vero ſpe-
tat ad Ieſuitas, an ij Ieſuitæ vere ſint, qui ad ſe
enerint, exploratum ſibi compertumq; non eſſe:
acerdotes quidem eſſe certe, & ex eadem, qua ſunt
ſi religione, ſed eiuſmodi tamen, qui non modo ab
mni crimine longe abſint, verum etiam partim exē-
lo vitæque integritate, partim erudienda iuuentu-
ſtudeant prodeſſe quam plurimis. Cum in hanc
ntentiam reſponſa dediſſent, communi omnium
ntentia decernitur, vt Epiſcopo Coirenſi, cui Diœ-
ſis illa ſubiecta eſt, quamprimum ſe noſtri ſiſtant,
terimq; concionandi & docendi munere ſuperſe-
eant. Id noſtri non grauate fecerunt. Verum vt ſe-
datio-

datiora fuere omnia, Magiſtratus in Concilium noſtros aduocant, tum vt quid in eos ſtatutum eſſet, exponerent, tum vt de nouo Calendario ſententias exquirerent. Quod ad Calendarium attinet, ea fuit Conſilij ſumma, nullo modo committendum eſſe, vt recens Calendarium ſemel acceptum ac confirmatum Summi Pont. auctoritate, inſcio Epiſcopo, Cardinaliq́; Borromeo, in cuius tutela ea vallis erat, antiquaretur. Populus, qua eſt in Romanum Pont. obſeruantia, ſtatuit quiduis potius perpeti, quam vel tantulum à Pontificio imperio nutuque diſcedere. Noſtri tamen præteritis euentis edocti, ne quid ſua apud Griſones commoratione, ijs quibus prodeſſe vellent, obeſſent; deliberare inter ſe cœperunt, præſtaret'ne deſiderari tãtiſper, quam in ijs turbis nulla cum vtilitate verſari. Id ſubodorati diſcipuli ad ſuos quiſque parentes cum lacrymis contenderunt, Patrum abitum lamentantes. cuius rei fama cum manaret latius, populum vehementer affecit. Poſtridie igitur, vniuerſorum concilio ſimul cum patribus conuocato, edicitur, vt de noſtrorum commoratione ſuam ferat quiſque ſententiam. mos eſt apud hos ferendi ſuffragij, vt quod quiſque adiudicauerit ac probarit, id altera ſublata manu ſignificet. Vt igitur de re noſtra rogatus eſt populus, complures non alteram tantum, ſed vtramque manum ſuſtulerunt. Noſtri quando ſecundis comitijs acta res erat, pro ſecundis etiam euentibus, horarũ quadraginta ſupplicationem ad D. Mariæ, quam Lauretanam nominant, decreuerunt. Eſt id templum à

Sacer-

ſacerdote quodam Dei Matris monitu quatuordecim annis ante conſtitutum, & ædi Lauretanæ, quæ eſt in Piceno amplitudine facile par, prodigijs item nobile frequentiq; conuentu. Vt igitur manendi copia facta eſt, tanto acrius ſe noſtri ad ſua munera cõtulerunt, quanto difficiliores initio aditus habuerũt. Nec vni tantum Oppido vtilitati fuere. Meſaucum Rogoreto non procul abeſt, ſunt in eo complures hæretici, ſed ex ijs quindecim poſita contumacia, ſuauiſſimo Eccleſiæ iugo ceruices ſuas noſtrorum perſuaſionibus ſubiecerunt. atque huc nerui collati ſunt omnes, vt cæca pectora diuinæ veritatis lumen admitterent; tanta eſt enim in pleriſque caligo, vt diſcuti niſi à iuſtitiæ ſole non poſſit: tanta autem animorum peruerſitas, vt lucem oderint, noctem adament, nec dent ducibus dextram, qui extrahere eos conentur è tenebris. Fuit, qui rei veritate conuictus lapides de terra tolleret, vt ſe contra Sacerdotem noſtrum, quoniam diſputationis pugna non poterat, lapidatione defenderet. Neque tamen à confirmãdis in religione animis noſtrorum charitas deterretur, præſertim quod ea cernitur in pleriſq; conſtantia; vbi ſemel hauſerint veritatem, vt optime apud eos collocari opera videatur. Rogoretum cum Calendarij cauſſa ex omni Griſonum tribu legati veniſſent, inſpexiſſentq; quæ gererentur à noſtris, viſi ſunt pijs ipſorum ſtudijs mirifice delectari, placuitq; eorum concionibus intereſſe, interdumq; conuiuio illos excipere ceteriſq; humanitatis officijs. Mos vſurpandi diuina myſteria, qui ante

nullus erat, tanta eſt omnium cum voluptate receptus, vt eam ob cauſſam gratulandi Deo nullum finem faciant. Catechiſmus vulgo ſic teritur, vt iam eius caſtiſſimo cantu perſonent vniuerſa. Certe à puerulis diſcunt parentes, & quorum corpora & vitas alunt, ab his petunt pabulum animorum. Nec minus operæ in inſerẽdis bonis, quã in euellẽdis prauis moribus collocatur. Prodromi Domini natalitijs, benedicebatur in ſacris ædibus vino, idque populo magna cum ſuperſtitione propinabatur: ad ſepulchra cantus lugubres edebantur, & (quaſi id ad mortuorum animas aliquid pertineret) ploratus precibus miſcebantur. Iam maledicta, execrationes, fœnora in minimis peccatis numerabantur: nam eſcis vti præpinguibus, exceptis ab Eccleſia diebus, iſtuc quidem religioni vulgo non erat. Quæ tamen omnia, Deo fauente, aut funditus ſublata ſunt, aut magna ex parte repreſſa.

## COLLEGIVM BRERANVM

QVæ res Societati noſtræ propria eſt, vt rudi plebi teneræq; ætati lex Chriſtiana tradatur; in ea huius Collegij fratres ſumma cum laude verſati ſunt. Inuitamento fuit ciuitas ipſa ſcholis Catechiſmi referta. quippe quæ centum ex ijs amplius numerat & viginti. Præeſt huic procurationi ſodalitas quædam annum iam ante centeſimum, in eaque ſunt viri pietate ac religione præſtantes, qui ad Cathechiſmi munus has etiã officij partes adiungunt,

gunt,vt tetra in cœlites maledicta ac nefarias execrationes beneuola oratione caſtigent,ſuoque exemplo,qui cæteris obſunt,emendent. Huius ſodalitatis ſtudia, quod natura fert in omnibus fere rebus, cum languidiora iam eſſent, alias cœpit operas aduocare,alia implorare ſubſidia. Dati ſunt è noſtris, in eam rem feſtis diebus duo de viginti, quorum labor vtilis,vt ſuperiore anno ſignificatum eſt, longe lateque manauit. Forenſes fructus fuerunt etiam vberiores: varijs enim in foris habita concio magnos animorum motus effecit. Res erat ſane iucunda,cum ij ipſi, qui vel irridendi cauſſa,vel curioſius cognoſcendi,quid ageretur,accederent; ſaniores inde recederent. Vir nobilis vt propius acceſſit, & diuina verba admiſit ad aures,domum celeriter aduolans,ſuos quoque liberos ad audiendum eduxit. Matrona nobilis concionem præteruecta curru, ad aſpectum concionatoris ſubſiſtere aurigam iuſſit:nec prius inde diſceſſit,quam concionãdi finis eſt factus: cumq. noſter ille ad ſacram ædem populum inuitaſſet,ipſa quoque de curru deſiliens, præeuntem cum turba ſequi non dubitauit. Mitto alias hominum cũ hominibus, & hominum cum Deo reconciliationes: taceo pecuniarum reſtitutiones, impedimenta cæliuum,admirabiles animorum commutationes, & id genus alia complura, quæ hoc vno concionandi genere ſumma cum Cardinalis approbatione ſunt facta. Vt autem auditores, quorum magnus ſemper numerus cogebatur,ſatis videbantur ad pietatem eſſe permoti,deducebantur non ſine cæterorum admi-

ratione in ædem aliquam precabundi. res ad lætitiam & voluptatem erat inſignis, cum domum noſtri reuerſi ſuam quiſque prædam veſpertina per otia commemorabat. vnus ſexaginta ſe adduxiſſe dicebat ad luenda peccata, alius ludos ſe diſſipaſſe profanos, alij alias prædas quæſtusq. iactabant. & vero tanta vis erat eorum, qui confeſſionis cauſſa Sacerdotes requirerent, vt ei non modo Collegium, ſed ne Domus quidem vniuerſa ſufficeret. Redeamus pauliſper domum, & de Sodalitijs Dei Matris Gymnaſioq. dicamus. E maiore minoreq. ſodalitio (duo enim ſunt, alterum è natu grandioribus, è minoribus alterum) religioſiſſimi quique ſelecti, ſexta quaque feria ſub veſperam vna conueniunt, efficiuntq. alterum quaſi priuatum cœtum: cui propoſitum eſt curas omnes, tum in piam precationem, tũ in edomandas prauas animi cupiditates intendere. nec alia lege tenentur, niſi qua diuinis octaua quaque luce myſterijs, & qua ſilentio vti iubentur. Hi certum in locum vbi conuenerint, exactæ per diuinas commentationes hebdomadæ rationem reddũt: deinde certatim quiſque abiectus in genua, pœnarũ aliquid ſibi depoſcit. hic patefactis ſuis ipſe culpis acriter ſe obiurgat: ille ſe obiurgantes æquo animo audit: alius ad voluntaria verbera, nonnulli ad infima etiam pedum oſcula omni ſummiſſione deſcendunt. atque hos fere Deus ad cœnobiorum diſciplinam ac perfectam rationem virtutis inſtituit. Sodalitium, quod è natu grandioribus conſtat, etſi magnæ auctoritatis & ſapientiæ viros in ſuum nume-

rum

rum legit:tamen tantum abeſt,vt id ætatis homines verſari inter adoleſcentium ac diſcipulorum gregē pudeat, vt mirifice potius pijs illorum ſermonibus capiantur. Tanti vero apud eos ſodalitas eſt, vt ſi forte tum adeſſe,cum ſuos illa conuentus habet, minime liceat, per internuncium occupationes excuſent:horum numerum ſperamus,Deo fauente,auctū iri quotidie:præſertim quod Terræ nouæ Dux, huius Regiæ ditionis adminiſtrator, ſingulari prudentia vir ac pietate non minore,vnus ipſe de ſodalibus eſſe voluit: qui quanquam ingenti negotiorum mole tenetur, imperat tamen ſuis ipſe occupationibus quantum poteſt, vt quam ſæpiſſime cum ſodalibus vna verſetur. Gymnaſij pietas nihilo inferior, & quanquam in eo de ſodalitate ſunt multi: tamē laus ferme eadem ceterorum. Hanc ſuſcitauit frequens peccatorum à prima ætate confeſſio, ad eamq. rem acris cohortatio inuitatioq. Doctorum. quare tantus inter auditores extitit ardor, vt iam cœnobium triginta amplius meditentur. In Societatem præter eos, qui ad domeſticam procurationem admiſſi ſunt,recepti ſunt tres præclaris naturæ animiq. inſtructi muneribus. Hac auditorum pietate mirifice captus eſt Borromeus,eoſque,cum ad nos veniſſet, pabulo cœleſti refecit, & ad eorum,totiuſque Gymnaſij opportunitatem,curaturum ſe recepit peramplam ad litterarias altercationes aulam extruendā, ſed optima eius conſilia mors diremit. Nec leue fuit eiuſdem in nos amoris indicium, quod Collegij cauſſam Pontifici Max. per litteras commendauit,

*nec vnas tantum ſcripſit, ſed alias, quæ Romam poſt eius obitum peruenerunt, quarum vi pius Pontifex Præpoſituram Collegio quandam, quæ Mediolano non longe abeſt, attribuit: ſed ita, vt cum ſeſe dediſſet occaſio, maiora deferret: id ſignificauit ipſe procuratoribus Italiæ Patribus, cũ à ſanctiſſimo pedis oſculo in ſuas Prouincias remigrarent: nam cum ei pro accepto beneficio eius Prouinciæ procurator gratularetur; Pauca, inquit, iſta ſunt; plura, ſi facultas tulerit, adiungemus.*

## COLLEGIVM GENVENSE.

*GEnuæ quoque animarum ſaluti præcipua cura fideq́; conſulitur, ſiue apud ciues, ſiue apud paganos. In ciuitate plurima nobis lucra parantur ex ſodalitatum tum varietate tum copia. eæ nouem circiter numerantur in varijs vrbis locis, & à Societate reguntur omnes. Cum his omnibus illud eſt commune, vt peccatorum labes vitent, & octauo quoque die myſterijs ſeſe cæleſtibus expient. crebra in ijs de re diuina colloquia, crebra commentatio tractatioq́ue cæleſtium rerum. Cœtus quidam eſt eorum, qui expoliendis Catechiſmo pueris, rudiq́. plebi præpoſiti ſunt, interdumq́ue noſtris adiuncti ad triremes excurrunt, vt illa quoque contempta capita & remis addicta mancipia, chriſtianis præceptis inſtituant. Horum exemplo permoti non pauci ſuos etiam liberos imbui volũt, eosq́. ad Catechiſmi ſcholas (his plerumq́. creditas) vltro deducunt. Soda-*

*lium*

lium in hoc cætu numerus fere centum. Eſt & ſodalitas quædam, quæ à Noſocomio vocabulū ſumpſit ex adoleſcentibus ſexaginta, quorum partes ſunt, præter frequentem Sacramentorum vſurpationem, quam cum omnibus diximus eſſe communē, & Catechiſmi tradendi curam, pijs quotidie commentationibus ad vnius horæ ſpatium vacare. meditationem comitatur actio exercitatioq. virtutis. ægris in valetudinario miniſtratur, triremis carcerque conuiſitur, & alia huiuſmodi officiorum munera obeuntur. Ex hoc Oratorio fluxit aliud, cui ſacra ædes angelicæ ſalutationi dicata nomen dedit. Conſtat id è ſodalibus fere centum, atque ita pendet à proximo, vt ab eo leges & moderatores accipiat, ſitq. veluti ſeminarium quoddam, vnde progrediente tempore migretur in illud. Adhibetur ad domandum corpus verberum diſciplina ſemel atque iterū in hebdomada, ſæpeq. ſæpius, vt fere in omnibus fræno ſit opus. itaque complures de cœnobio iam cogitant, & diuitiarum prementes faſtum ad Chriſti paupertatem, humilitatemq. deſcendunt. Cœtus ille, quem Oratorium nominant S. Siri, totidem fere ſodalibus continetur, ſed his minimum decimoquinto die Sacramentorum indicta lex eſt. reliqua à ceteris ſodalitijs cætibusq. non diſcrepant. Ex hoc ipſo numero ſodales ferme triginta, alios habēt priuatos ſecretosq. conuentus, vbi agitatis inter ſeſe varijs de pietate colloquijs, ad ſemihoram precationi ſe dedūt: tū verberibus in ſuum ipſi corpus animaduertunt, & crebro pœnas à moderatoribus ſibi

depoſcunt, quæ vel corpus vrant, vel perſonam ac dignitatem. ita fit, vt ex his quoque plurimi fugaciũ rerum cura contẽpta cœnobia ſe in arcta concludãt.

Sunt & Sodalitates quædam vel Oratoria, quæ, præter cetera pietatis ſtudia ſuperioribus conſimilia, corrogandis pecuniarum ſubſidijs ægrorum inopiæ, & eorum quos nobilitatis pudor à quærenda ſtipe deterret, opitulantur. Hæc præcipua laus eſt tum Oratorij B. Martini, tum eius maxime, quod à Sudario nomen inuenit. hoc & nobilitate floret & numero: publicis in tẽplis ſtipem Sodales corrogant, quod quia ſudario faciũt velut in marſupium complicato, ad excipiẽdam continendamq. pecuniam; iccirco à ſudario ipſo Sodalitas nominatur. Habent præterea noſtri ad alium cœtum ex hominibus octoginta cohortationem, hi nobiles togatiq. ſunt omnes, ſuosq. conuentus habent non tam ad priuatum propriumq. commodum, quã ad publicum & commune, neque tam de virtutibus agunt, quas cura omni ſtudioq. ſectentur, quam de vitiorum fuga & corruptæ ciuitatis moribus, quos ſanandos curandosq. ſuſcipiant. Nam cum auctoritate præſtent, vltro ipſi ad Senatũ vel Epiſcopũ deferunt, ſi quid in ciuitate corrigendum ſanandumq. ſit. ita multis malis occurritur, multa vitãtur incõmoda. Atque hic in vrbe campus Sociorũ ſeſe laboribus explicat. nec tamen in tãta Sodalitiorum procuratione, ceteræ ciuitatis ſalus commodumq. negligitur. ſæpe oboriuntur occaſiones ſiue leniendi odia, ſiue nefaria lucra prauasq. conſuetudines reſcindẽ-

di,

di, quæ & auide arripiuntur à noſtris & ſtudioſe. Quidam cum aureos nongentos vt redderet (nam minuta multa mittuntur) induci ne viginti quidem annorum ſpatio potuiſſet, impetratum tandem ab eo eſt, vt quæ contra religionem, contra officium vſurpauerat, reſtitueret. E fœminis, quæ pudicitiam ſuã fœde vulgauerant, duodecim ex eo probro ac dedecore ſunt ereptæ. Nec minore ſtudio virilium libidinum extinctæ faces. Sed quotidianis rebus omiſsis migremus ex vrbe. Sæua inter externos eſt finita cõtentio, quæ cum indies creſceret, ſeminarium erat plurimæ cædis. ea extiterat inter eos, qui varijs dominis heriſque parebant: & in vtramque partem centum circiter cum ferro ſeceſſerant, in ijſque exulum duces è diuerſis eiecti ſedibus: eò autem deducta res erat (plurima iã facta cæde) vt magnã pacis deſperationem afferret: tamen quoniã ab eo expectabatur medicina, cuius clementia ac miſericordia pari prædita eſt poteſtate; Noſtri ea nixi fiducia aggreſſi ſunt pro viribus vniuerſa componere: euocãt ad colloquium tum dominos tum ſubiectos, diſſidij atque diſcordiæ docent incommoda, ſi quid eſſet litium, hortantur potius iure quam ferro decernant, denique in omnem partem ſeſe verſant, vt tã atrox dirimant periculoſumq. certamen. haud irriti fuere conatus: dedit Deus, qui ſperabatur, euentum, ſeditioq. omnis placatis animis conquieuit. Sacerdos alius cum comite dum finitima peragrat, tantum è ſuis concionibus fructum cepit, vt confitentium multitudine oppreſſus, quatuor quinqueue Sacerdotum labo-

*labores ſuſtinere vnus ſuis humeris cogeretur. Leniuit quorundam odia fratrum, qui ex fraterna cæde in percuſſorem incenſi octauum iam annum Sacramentis omnibus abſtinebant. Aegrum etiam, qui non procul aberat à ſepulchro, in eoq. pertinaciter ſtabat, vt ei, vnde accepiſſet iniuriã, non condonaret, ita perpulit, vt non prius Pater ex eo loco, quam æger ex ea mente diſceſſerit. Nec minus vtilis quædam alibi conciliata pax eſt. Sodalitas quædam vel Oratorium in pago quodam eſt ex hominibus fere quingentis: in quo Magiſtratuũ Præfectorumq. mutatio, propter occultas in comitijs fraudes, magnarũ ſæpe fuit ſeges & origo turbarum. Incolæ vt ſunt ad cædem proni, etiam cum telo ad Oratorium accedebant, & qui locus erat à maioribus pietati ac religioni conſecratus, is omni gladiorum impunitate violabatur. Hoc cum ad Patris aures perueniſſet, cœtus moderatores euocat, eoſque longa admonet oratione, quantam conciperent maculam, qui eas tali in loco rixas turbasq. paterentur: rationem etiã qua diſcordiarum ſemina tolli, quaque gigni concordia poſſet, oſtendit. qua illi oratione permoti nihil antiquius habuerunt, quam vt remedijs vterentur acceptis. quibus adhibitis lætiſſimum poſtea otium & tranquillitatem vniuerſæ ſodalitati pepererunt.*

## ARONENSIS DOMVS, ET Comenſe, ac Vercellenſe Collegia.

Q*Vi è Nouitiorum diſciplina vitam fingunt ſiue recentiſſimi ſiue veterani, tantum procedunt*

ſunt ad virtutis aditum, vt non exiguæ ſint ſuis Re-ctoribus voluptati. Pudor eorum facit, quominus multa de eorum virtute dicamus. Gallus adoleſcens tum genere nobilis tum apud Regem gratioſus, è domeſtica pugna non ignobilem victoriam reportauit. Nam cum propinqui ſtatim aduolaſſent è Gallia, vt adoleſcentis mentem vel minis auerterent, vel blanditijs, factaque ijs poteſtas eſſet, vt adoleſcentem ſi ſequi vellet, abducerent; is ſua firmitate eos ita debilitauit ac fregit, vt ij re penitus deſperata ſatius ducerent inanes redire domum, quam diuturna atque inutili pugna ſuum dedecus augere. Deſperationem auxit, adoleſcentis epiſtola ad amicum, quem ardenti cohortatione in ſuſcepta Societatis ſententia confirmabat. quam illi epiſtolam cum reſignaſſent, explorassentq. quàm fruſtra in eius commouenda conſtantia deſudarent, qui ad id ipſum ceteros inflammaret: ad extremum dedere manus. tametſi improba eorum mēs impunita non fuit; quippe ex ijs vnus præ ceteris inſolentior vix domum redijt, cum repentino iugulatus eſt morbo: nec ita multo poſt frater in lacu perijt, vt doceretur imprudēs pater, ſuos Dei filios non grauate concedere, cuius ſceptro atque imperio liberorum vitæ atque mortes obtemperant. Quod ad communem animarum vtilitatem pertinet, etſi ſedes hæc excolendis Nouitiorum moribus eſt dicata, non tamen, ſi quando incidit eiuſmodi tempus, deſeruntur externi. Itaque & familia vniuerſa, noſtrorum induſtria à diuturnis diſſenſionibus conquieuit, & duo è prima ciuitate germani fratres,

tres, qui ab inuſitata rabie ſexennio fere toto mutuis ſeſe aſpectibus ac ſermonibus fraudabant, iunxere dextras.

COMENSE Collegium ſuis quoque fructibus gaudet, ſuis lætatur incrementis. Auctus eſt Gymnaſii numerus Clericis Seminarij, & ex cetera nobilitate noua fit ſemper acceſſio. Nec minus belle Catechiſmi, quam litterarum ſcholæ procedunt. eæ multæ ſunt, & Societate nituntur omnes, nec deſunt viri fœminæq. primariæ, qui præmiorum illecebris inſtituta promoueant. habentur ea de re ab ætate puerili non ſine principum conuentu, mutuæ altercationes, & diſputationum ſpectacula non iniucunda, quibus à profanis ſæpe ludis inania ſtudia multitudinis auocantur. Et quoniam Præsbyteri menſtruos conuentus habent agitandis ijs, quæ ad cuiuſque officium vitamq. pertinent: noſtri quoque ad eos ſe conferunt, vt ſi quid difficultatis inciderit, vt plerunque euenit, id expediant. per eamq. opportunitatem, habetur ſæpe tum ad clericos tum ad populum cohortatio, cũ vtilitate mirifica. E reliquis ſtudijs muneribusq. Societatis, fructus etiam legitur non exiguus. Ciuium in nos ſtudium, ut alijs litteris eſt perſpectum, indies magis declaratur. Quidam quinque aureorum millia Socirtati legauit, modo ſine prole legitima decedat nepos.

VERCELLENSIS ciuitatis officia quotidie in nos extant illuſtrius. Obierat modico dierum interuallo vnus è noſtris, cui, cum de more curandũ eſſet funus, Sacerdotes ipſi maximi templi, vnà cum Semina-

mina-

ninarij clericis, funebri pſalmodia parentarunt: prĩ
naſq; Archipræsbyter egit. Nobiles autem viri fæ-
ninæq. vt ſubſidijs ac muneribus ægrum, ita mor-
uum ſua præſentia ac lacrymis decorarunt. Initiũ
ræterea cepit in hac vrbe, noſtris auctoribus, Ora-
orium, in quo ſtatis diebus piorum conuentus ha-
etur: cumq. huc negotiorum cauſſa tres eodem tẽ-
ore Cardinales, Borromeus, Vercellenſis, & Mon-
is regalis veniſſent, eorum aliqui ad Oratoriũ pro-
ecti, Sodales tum Sanctitatis exemplo, tum oratio-
is grauitate in propoſito confirmarunt.

## TAVRINENSE COLLEGIVM.

TAurinenſis ager eam ſuis cultoribus gratiam
retulit, vt non queri poſſint quod ſibi non be-
igne reſponderit. Nam ſiue externa ſpectentur ſi-
e domeſtica, omnia læta reperientur. Ordior á do
neſticis priuſquam ad externa progrediar. Aucti
umus domi fratribus quinque, orbati vno. Is fuit
oannes Leonius Sacerdos, anno ab inita Societate
uarto circiter & trigeſimo, cuius ſpectata virtus
udicium Patris noſtri commendabat Ignatij, â quo
n hunc numerum lectus eſt. tria religionis vota ri-
e edidit nouiſſimo vitæ ſuæ anno, ea vi lacryma-
um, vt quantum de ætate deperderet, tantum de
ietate videretur acquirere. Et quoniam non apud
omeſticos tantum, ſed etiam apud exteros bene au-
lijt, mors eius communi omnium luctu publiciſq. la-
rymis cohoneſtata eſt. Nec deſunt viuorum ſtu-
dia,

*dia, qui præclaris mortuorum veſtigijs inſiſtant. ſtudet ſedulo pro ſe quiſque animarum commodis ac ſaluti. Sacerdos dum in excipiendis confeſſionibus tenuiſſimo cuique dat operam, tanta eſt diuinæ dulcedinis vbertate completus, vt nunquam ſe meminerit expertum eſſe maiorem. voluit nimirum Dominus in hoc homine declarare, quantum ijs Sacerdotibus delectetur, qui in eo obeũdo munere pannoſos homines æque ac diuites amplectuntur. nam inter olentes paganorum animas, pædoremq́. agreſtis amictus, ſuauitatem quandam admirabilis iucunditatis ſenſit: idq́ue cum in templo noſtro non ſemel, tum multo illuſtrius in Noſocomio quodã, cum ægrũ tractaret inſanabilem atque vlceribus deformatũ, quò qui accederet propter intolerabilis odoris fœditatem erat nemo. Ad eum ille non ſine egregia horrẽtis naturæ victoria ingreſſus, vbi agere cum ægro cœpit, & os ad os propius admouere, tantum abeſt, ut ullo amplius perfunderetur horrore, vt omnes odorum ſuauitates admoueri ſibi ad nares opinaretur: eas vero intimis ſenſibus dulcedines hauriret, vt ab ægri complexu diuelli poſtea non poſſet. Nec vero ita ſtudetur domeſticæ ſanctitati, vt in communem animorum ſalutem nihil otij deriuetur.*

*Eſt Oratorium quoddam à noſtris ædibus non longe poſitum è doctoribus diſcipuliſq́. permultis, noſtræ item fidei curæq́. commiſſum: in eo de rebus diuinis præcipueq́. de virtutum ſtudio vitiorumq́ue fuga perutiliter diſputatur. principem in eo grege locum obtinet Sfondratus Abbas Cremonenſis, Cardina-*

dina-

inalis fratris filius, qui his iam communibus publi-
isq. ſermonibus non contentus, habet inſuper cum
tteratis adoleſcentibus, modo in ſuis, modo in no-
ſtris ædibus priuatos quoſdam: eaq. re non ipſe mo-
o quotidie progreditur ad virtutem, ſed in eo quo-
ue totus eſt, vt ad imitationem ſui ceteros trahat.
it quidem res illi cedit ex ſententia, multos enim
d Sacramenta perducit, multos ad expiandas ſu-
erioris vitæ noxas inuitat, qui ſimulac parere cœ-
erunt, ſenſim ad innocentiam pietatemq; ſe tranſ-
erunt.

Tradita eſt commentandi ratio de rebus diui-
is, viris fæminiſq. primariјs. ea res ſanctioris vitæ
upiditatem multis iniecit, compluresq. feminæ per
aſtimoniæ vota, contemptis voluptatibus humani
oniugij, cum cæleſti ſponſo ſe coniunxere. Ex ijs
artim ſe cœnobijs virginum deuouerunt, partim
ullam cœnobiorum ſequutæ diſciplinam in caſtita-
s tamen propoſito perſeuerant. Ex hoc genere
ultæ cum eſſent, egerentq. ad ſua tutanda corpora
iligenti cuſtodia, noſtri excitandum cenſuerunt in
onorem B. Virginis Sodalitium, quò deuota earum
irginum corpora, quibus aut facultas aut volun-
as aſperioris ineundæ vitæ non ſuppeteret, congre-
arentur. Huius ſodalitatis opportunitas, quo latius
ateat, viduas quoque in eam recipiendas Societas
enſuit, numeranturq. in ea fere viginti, quarum
rocuratio à primariјs eſt ſuſcepta matronis. hæ
acramentorũ cauſſa in ædẽ noſtram vniuerſæ con-
eniunt, tantuſq. cernitur in quibuſdã ardor, vt iam
nunc

*nunc ex eo cœtu, quanta ad animos reditura ſint commoda ſentiatur. Publicæ curæ (quæ concionum fere munere continẽtur) priuatis laboribus nihil cedunt. Concionatorem de noſtris Dux Allobrogum poſtulauit: eumq. cum impetraſſet, eius concionibus, quas in præcipua vrbis æde habere voluit, fere ſemper interfuit: cum Duce autem ciuitas vniuerſa. itaque vberes ex ea re fructus. Quadrageſimæ tempore, vt Xenodochium quoddam noſtris auctoribus inchoatum perduceretur ad exitum, placuit Duci rem non minus honorificam, quã neceſſariam (multi enim egeni hoſpites, per hyemem præſertim, quò ſe reciperent non habebant) pietati ſtudioq; populi cõmendari. Et quoniam ſuam ipſe auctoritatẽ Dux interpoſuit, partemq; ſpopondit opimam, tantum pecuniarum ex auditoribus corrogatum eſt, vt ad quatuor aureorum millia & quingentos ſumma peruenerit. Hæc tam prolixa munificaq. ſtips magnifice circumlata per vrbem cereis accenſis, nobiliq. frequentia Xenodochio ipſi, quod hoſpitium virtutis appellare placuit, reddita eſt. Ducis autem in nos humanitas (quando huc delapſus eſt ſermo) ſemper eſt illuſtrior. nunquam aliquid petentibus denegauit, imo ne petentibus quidem vltro detulit. Et quoniam biennio ante, cum ægrotauit, vouerat Dei Matri, ſi valetudinem recuperaſset, eius ædi Lauretanæ ſtatuam auream ſe daturum: noluit eam niſi noſtris manibus fideiq. committi, duosq. è noſtris ad ædẽ illam largo cum viatico deſtinauit. Eadem in nos ſtudia fuere Cardinalium duorum, Vercellenſis &*

*Montis*

*Montis Regalis, quorum alterut accepit Cardina-latus inſignia, non alio prius purpureo illo proceſſit ornatu, quam in ædem noſtrã Deum veniret ſaluta-tum. Nec ſilenda eſt Epiſcopi Sartinenſis humani-tas, qui cum ſedis Apoſtolicæ nomine hanc Diæce-ſim inſpiceret, inſpexiſſetq. templum noſtrum cum inſtrumento, eas de Societate laudes in acta retu-lit, vt Archiepiſcopus poſtea illas coram Prouin-ciali Rectoreq. Collegij, non ſine ſummo vtriuſque rubore perlegerit. Reſtat, vt priuſquam à domeſti-cis abeamus, religioſam Beatorum corporum, Solu-toris, Aduentoris, Octauijq. tranſlationem in ædem noſtram recens extructam, ijſque Martyribus de-dicatam, paucis commemoremus. Ac præclare qui-dẽ nobiſcũ actũ putamus, quibus non modo Beatorũ nomina, ſed ipſa quoque tributa ſunt corpora. Ad tres illos Beatos acceſſere Sanctorũ tũ Iulianæ hoſpi-tæ, tũ Guſelini corpora. Et quoniam veteri è ſacello in ædem nouã migrandũ fuit, trãsferendus vna fuit hic Reliquiarum theſaurus non ſine pompa appara-tuq; ſolẽni. Dicta eſt tranſlationi dies Dominica illa, quæ præcurrit Chriſti Natalem; in eamq. feriam impetrata eſt à Sum. Pontifice Ducis opera ac roga-tu, ampliſſima peccatorum indulgentia. Collegij por-ticus, pulcherrima peripetaſmata veſtiebant, ijſ-demq. ornabantur publicæ viæ, qua traducenda fuit pompa. Veſtis autem explicatæ varietatem ornabat adhuc & diſtinguebat varietas carminis. id metro continebatur heroico, heroumq. cæleſtium egregia facinora commendabat. Carmen cingebatur emble-*

matis aliisq. ingeniorum Muſarumque muneribus, mirifica cum oblectatione legentium. Iam beata corpora condebantur in arca ex odrilitio, cælato perpulchre: eaque impoſita feretro Attalica veſte contecto. hæc ad aram maximam ſacelli veteris, cuſtodiebant Sacerdotes quatuor ſplendida cum veſte ornatuq. ſacrificantium. aſtabant linteis induti tunicis Acolyti totidem, ad pietatem ora compoſiti. Interea ſupplicantium agmen inſtruebatur, & ad excipienda ſacra pignora procedebant. Vt autem Eccleſia Metropolitana comparuit, Archiepiſcopusq. mitratus cum infulis ceterisq. inſignibus pontificiis, ecce tibi ſub idem tempus cũ familia vniuerſa Dux ipſe: & mox etiam par illud purpuratorum Patrũ, Montis Regalis ac Vercellenſis. ii vna omnes Sacellum Martyrum ſucceſſerunt. Cumq. canentium chorus intonuiſſet duplicata alternantique ſymphonia, Sacerdotes noſtri eo amicti ſplendore, quem dixi, in humeros arcam tollunt: comitabantur reliqui linteati, faces præferentes in manibus: Archiepiſcopus ſequebatur à tergo, feretrum manu ſuſtentans, et ex vtroque latere Cardinales, manibus pariter admotis ad arcam. atque in hunc modum proditum eſt è Sacello. Præſto erat pro foribus vmbella perelegãs, quæ honoris cauſſa Beatos illos exceptos ad ſuam ſedem domiciliumq. deferret. ea geſtabatur à Duce ceteraq. nobilitate. Iam Pompa ad ædem vſq; perducta, ſacra illa corpora, increbreſcente ſymphonia & ferientibus æthera uocibus, in ara maxima collocata ſunt. Supplicationem veſpertinæ preces; has

ꝛeuis quidam Archiepiſcopi ſubſequutus eſt ſer-
no. Atque id honoris à mortalibus habitum eorũ
irtuti, quibus Deus Opt. Max. in ampliſſimis cæli
atijs, domicilium immortalitatis exſtruxit. De
rbanis hactenus; ſequitur deinceps vt de rebus di-
amus externis.

## MISSIO IN PADANAM SEV Lucernam Vallem.

EST Padana vallis in Gallia Trãſpadana non lon
ge ab Auguſta Taurinorum, à Pado flumine
c appellata, ea nunc ab oppido Lucerna in ea con-
ito, Lucernæ nomen accepit. Ingredienti offert ſe
b oriente Sole Mambrinum: in extrema vero val-
ab occidente Crux eſt lapidea præalta, vnde Ita-
a à Galliæ Delphinatu ſeiungitur. Eſt autẽ Mam-
rinum pagus vnus è decem, quibus tota hæc regio
iſtinguitur: qui vnus auitam religionem retinet in-
orruptã, cæteros autẽ omnino, aut magna ex par-
hæreſum peſtilentia fœdauit. Septem ſunt hæ-
eticorum miniſtri, qui zizania dies noctesq. diſſe-
ninant. octauum nonnulli addunt, non apertum illũ
uidem, ſed inter Catholicos in Bibiano pago delite-
entem. Hos, quæ eſt hominum corruptela atque
eruerſitas, plerique ſequuntur; Catholicis vero, è
uinque & viginti hominum millibus, quinque mil-
a duntaxat adhærent. Verum in tanta Catholico-
um paucitate primarij quique numerantur, & is
ſe, qui vallis obtinet gubernacula, tum noſtri ordi-

nis ſtudioſus, tum de hæreticorum ſalute ſolicitus. Ad incitandam Catholicorum pietatem noua quædam ratio excogitatur à noſtris. Pagi aliquot cum ſuis quique Sodalitatibus vna coguntur, vt religioſam aliquam in ædem deducantur, vbi Sacramentorum muneribus confirmati, auditaq. tum concione tum liturgia, domum poſtea diuino repleti ſpiritu reuertantur. Sæpe id factum eſt, ſed non ſine incredibili antiqui hoſtis inuidia, qui per ſuos ſatellites nunquam non conatur euertere, quæ pulchre viderit inchoata. Itaque cum in eo totus eſſet Sacerdos noſter, vt pagos ad ſupplicationes huiuſmodi conuocaret, propius factum eſt nihil, quam vt quodam ab hæretico, lapidis coniectu contereretur. Sed nihil hæc eos deterrent, qui diuinæ fiduciæ ſcuto ſe protegunt. Poſtero die congregatis Lucernæ triumq. pagorum ſodalitatibus, ſupplicantium agmen Pater inſtruxit ad ædem quandam B. Virginis in leni cliuo. Ibi peracto ſacro ceteriſq. ex inſtituto muneribus, cum vires reficiendi iam tempus eſſet, nec ſatis cibariorum æque ab omnibus eſſet allatum, paucis panibus in commune collatis, vnde quatuor vix homines expleri poterant, ſaturati ſunt amplius viginti. In reditu antequam ſodalitatum turba dimitteretur, quoniam ea peregrinatio omnium animos mirifice cepit, iterum conuentus indicitur ad ædem B. Bernardi proximo in monte, proximamq. in lucē Dominicam. In itinere, commodum obuiam facti ſunt Vgonottæ, qui ad Catholicos repente conuerſi, An non ſentitis, inquiunt, in veſtro comitatu Diabo-

*bolum eſſe? Sacerdotem videlicet noſtrum deſcri-
bebant, ductorẽ Catholici gregis. Sed vbi dicta dies
illuxit, ſodalitates vna præſto fuerunt, ad eaſque
quintus etiam pagus acceſſit, quem Balneolum in-
colarum vulgus appellat. ſpectaculum erat pleniſ-
ſimum voluptatis, montem contemplari vndiq. ſcan
dentium turba refertum, hymnis & canticis perſo-
nantem, cereiſq. facibus collucentem. augebant iu-
cunditatem aſpectus, pendentia ex cuiuſq. manu
Roſaria, & ex interuallis prælta redemptionis no-
ſtræ vexilla. increbreſcebat hominum multitudo tan
ta, vt cum tam multos ædes ſacra non caperet, ſa-
crificandum ſub dio fuerit in ara ſubductili; eo-
demq. loco concionandum. Rebus omnibus de more
peractis, antequam ſodalitatum cœtus diſſoluere-
tur, facta eſt inuitatio ad alterum pagum (Campi-
lionem nominant) in diem feſtum Ioanni Baptiſtæ.
Quo cum ex condicto ventum eſſet, ſextus adiunctus
eſt pagus & frequentia hominum multo maior. Eo
die inter horæ nonæ pſalmodiam, mulieres duas co-
mitialis quidã morbus inuaſit, qui pro loci natura,
quos corripit, ad extremam adigit ſaltationem. id
incolæ interpretati ſunt, populi accidiſſe pietate ad-
uerſus eũ Beatũ; longo nimirum vſu ac conſuetudine
docti, quod qui in ea diei celebritate tale aliquid
perpetiatur, is reliquo anni tẽpore ab eo morbo va-
cuus & liber ſit. Tota igitur valle celebrata res eſt
ingenti tum Catholicorum voluptate; tum hæretico-
rum ſtomacho: qui, quantum in ipſis eſt, ſubſidia cœ-
leſtium, ſcelerato animo funditus tollunt: Catholici*

*autem ad eos excolendos tanto ardentius incenſi, ſolēnem iterum pompam in ferias B. Margaritæ proximas inſtruunt, cuius templum in media hæreticorum colluuione ſitum eſt. Iam decem duodecimue pagi conuenerant, cum Vgonottæ re cognita partim metu, partim ſuſpicione ſuſpenſi, ne noſter ille, qui tantam vim hominum in interiorem vallem ductabat, religionis ſimulatione aut rerum potiri vellet, aut ipſorum loca vaſtare; exploratores ſubito mittunt, qui Patris ſubodorati conſilia mature omnia ad ſeſe deferant. & quanquam certiores à ſuis facti ſunt, nihil eſſe, quod ſibi à Catholicis, Patreue metuerent; tamen in omnem euentum, ſicariorum inter eos Princeps ſexcentos coegit hæreticos, qui à templo, quò Catholici venerāt nunquam abeſſent. Ac ne conſulto in eos viderentur armati, dum illi ſuæ pietatis munera rite perſoluunt, collimare ipſi telum aliquò ſimularent. Aliæ ad alia templa ſupplicationes habitæ ſunt, magno ſodalitatum tum comitatu tum fructu: quæ conſuetudo vt Catholicis eſt probata vehementer, ita maximo fuit hæreticis odio: nam nec res vlla magis reprimit hæreticorum ingentes ſpiritus, nec vlla magis hominum cœtus inter ſe conciliat: dies porro feſti nulla re traducuntur vtilius: peccatorum tolluntur anſæ: laudes Deo diuisq. dicuntur: multæq. aliæ oportunitates hinc oriuntur. Præter has publicas ſolenneſq. pompas inſtituuntur priuatæ quædam minoriſq. apparatus, in ſingulis pagis. Vbi matutina concio habita eſt, traditaq. pomeridianis ferme temporibus catecheſis, ad certam*

*ædem*

edem conuentus indicitur, Euchariſtiæ ſalutandæ
ratia: eaq. in ara ſumma multis collocata lumini-
us, vario hymnorũ carmine ac precationibus ado-
atur. Hos cantus excipit ad extremum cohorta-
io breuis, ad crebram vſurpationem tanti myſterij:
a ſuo quaſi paſta cibo multitudo dimittitur. In re-
itu quid Sacerdoti noſtro contigerit, non ſilebitur.
Reducebat ille domum puerorum agmen Catechiſ-
um publice concinentium, prælata de more Chriſti
ruce: cui cum vidiſſet ab Vgonottis, nihil honoris
ultusq. deferri, continere ſe non potuit, quin è tu-
nidis verticibus, ſuis ipſe manibus decuteret pileos.
Ea re Vgonottæ vehementer incenſi, minitari viciſ-
im acriter, ſi eum curſum habituræ res eſſent, ſe
quoque ad manus atque ad arma venturos: nec de-
uit ex eis, qui Patri tranſmittenti pontem occurre-
et, vt eum in Pelicem fluuium præcipitaret, ac niſi
à ſaniore homine inſanus ille reuocaretur, confecta
es eſſet. Veſperi cum ad Patrem vir Catholicus de-
uliſſet, hæreticos fere quinquaginta vna coactos,
Catholicorũ ſtudia figere maledictis, nec modo im-
udenter in diſcipulos inuehi, ſed in magiſtros etiam
& auctores; is ad eos ſe contulit, cum ijſq. certamen
ngreſſus, ſacrarum litterarum auctoritate docuit,
uam ſtudia illa non modo honeſta, ſed omni eſſent
ommendatione digna. Dedit Deus eam vim diſpu-
ationibus Patris, vt qui ætate ceteris anteibat, vi-
ctus cum reliquis ſocijs, Patrem ex eo tempore
mare cœperit, quem odiſſet, & eum etiamnum, quo-
ies obuiam occurrerit, nudato capite perſalutet.

hunc imitantur reliqui pedetentim, vt præter omnẽ conſuetudinem caput aperiant. Quin Dei benignitate eò deducta res eſt, vt non modo ſuam ipſi operam Patri deferant, ſed oblatam Pater propter Catholicorum penuriam ſæpe non reſpuat. Et quanquam, vt ſignificauimus, in ea ſunt hæreſi, vt Chriſti cruci nullos tribuant honores, eam tamen ſuadente Patre pijs etiam oſculis venerantur, vt tantum non Catholicorum partes ſequantur. aiuntque ſi huius ſæculi mores, quales in presbyteris cernunt, diſsimiles antiquorum moribus non eſſent, nũquam futurum fuiſſe, vt in tot ipſi errores atque hæreſes laberentur: nunc presbyterorum diſciplina corrupta, ſenſim eſſe reliquos eadem quaſi contagione corruptos. Sed vt ad Catholicos redeam, quoties dies feſtus appetit, Pagum comes Patris obambulans, vnumquemque ad expiandos Sacramentis animos cohortatur: ita ingens multitudo concurrit. quæ res eo eſt admirabilior, quod in his locis crebræ confeſsionis nullum erat exemplum: quin etiam annuæ confeſsionis lex ipſa, leui oborta cauſſa negligebatur. Habetur & præcipua iuuentutis ratio. Profeſtis diebus ad ſacrificium Miſſæ, diſcipulorum cœtus adducitur: eoque peracto iubet eos Sacerdotis comes Catechiſmum reddere, quem acceperint, eaq. exercitatione pomeridianum quoque tempus abſumitur. veſpertinum precationi dicatur: hanc vel quinquageſimi pſalmi cantus excipit, vel modulatum Litaniarum carmẽ, quibus vel Sanctorum omnium, vel Sanctorum Reginæ ſuffragationes expoſcimus: ad extremnm breuis

nis habetur à Patre ſermo de eius vita moribusq́ue Beati, qui in eum diem anniuerſaria Eccleſiæ commemoratione recurrit: vt & iiſdem veſtigiis tenera puerorum ætas inſiſtat; & hæreticorum damnetur impietas, qui iuſtos honores cæleſtibus negant.

Venit in has oras Apoſtolicæ Sedis legatus rem Catholicam inſpecturus, cui cum obuiam procederet Pater, mirifice ei gratulatus eſt legatus, quod ex ea familia eſſet, quæ ſuos alumnos animarum cauſſa in omnes terrarum tractus oraſque dimitteret. Is vt Lucernam attigit, hæreticum traduxit ad Chriſtũ, eumq́ue Patris curæ fideiq. commiſit. Diuerſorium noſtrum cum inſpexiſſet, domeſticam admiratus tenuitatem, noſtris rebus conſulturum ſe recepit. Pater eũ, qui legato eſt à conſiliis, deduxit in Angroniam, vt ſi forte Miniſtrum nactus eſſet non repugnantẽ, data fide publica, ad Legatum ipſum deduceret. commodum in itinere factus eſt obuiam vnus, qui cum ad ſalutandum legatum, fide inuitaretur oblata, nihil in præſentia decreuit, ſicut ne Miniſter quidem Angroniæ. Pater cum eo diſputationis pugna commiſſa, perſtringere interdum hominem in anguſtumq. concludere, ac demum efficere diſputãdo, vt intelligeret, quanta ipſum vrgeret neceſsitas pœnitentiæ (erat enim Sacerdos & ſponſam fouebat in ſinu) Non tulit homo præferuidus monentis vocem, Patremque verbis grauiſſimis primo reiecit, poſtea vt furor ille deferbuit, veniam deprecatus errati, temerariam illam concitationem animi, quam conſilio regere in poteſtate ſæpe noſtra non eſt, ex-

cuſa-

*cuſauit. Ad Angroniæ Miniſtrum non facilis patuit aditus, propterea quod in quadam Miniſtrorum ſynodo pœnas ſibi diceret irrogatas, quod Patrem blandis gratulationibus excepiſſet: eo enim ſe facto non obſcure ſignificaſſe, animum ſe à ſuis ad Catholicos tranſtuliſſe. Sane ſi quis è Miniſtrorum grege conuerſionis ſpem vllam præbet, is eſt vnus. nam nec cœnobita fuit, nec presbyter eſt, vt ex hæreticis multi, quorum eſt deſperatiſſima plerunque curatio; ſed eſt natura commodus, in omni ſermone comis, docilis præterea, & quem rationum momentis facile flectas. Verum intenta Dæmonis vigilantia, qui hos animos hæreſum laqueis ſemel irretijt, ea vinctos constrictoſq. tenet, ne vinculis ſe expediant. Sed ſi pari noſtrorum vigilantia Chriſto duce vincatur, tum demum ſpes eſt fore, vt ruptis vinculis in libertatem Catholicam vindicentur. Neque vero his tantum agris, Sacerdos ille ſemen diuini verbi mandauit, ſed in extremam miſſus Italiam, quæ Galliæ fines attingit, alibi quoque ſementem fecit. Ac dum in reuocandam Catholicæ fidei ſinceritatē totus incumbit, prodigijs interdū Deus, eius videtur ſtudia conatusq. iuuiſſe. Narrat enim ipſemet Pater, quodam in oppido ſe è ſuis ædibus euocatum ad ferendam miſero opem, qui raptabatur à Dæmone, vt præceps ageretur in profluentem: cumq. ad fluuium tam immitis carnifex aduentaret, exaudito ſtrepitu accurriſſe, qui miſerum illum incredibili conatu retraherent, ſed eos tamen ægre ſua tueri capita ab eius laniatibus potuiſſe: eum enim tanquam in rabiem*

*biem efferatum in obuium quemque ſubito irruiſſe; ot peteret morſibus, quem cepiſſet: addebatq. Pater, cum ſalutari illum Crucis ſigno muniſſet, iuſſiſſetq. ſecum Dominicam Angelicamq. precationem effari, impoſito cereo agno ceruicibus, quieuiſſe: mox cum lacrymis ſe amplexatum confirmaſſe, ſubito ſuo aduentu, fugatum eſſe atrum quendam horribilemq. gigantem, qui ſe ex hominum conſpectu abripuiſſet, vt præcipiti ruina ceruices frangeret: tum iuſſum à ſe hominẽ rite expiare peccata, pauidumq. pectus aduerſus hoſtium impotentiam Euchariſtiæ præſidio confirmare: quod cum feciſſet, ita demum ex auidiſſimis lupi faucibus euaſiſſe.*

## PROFECTIO AD VALLEM Peroſam aliaſque Valles.

P*Eroſa Vallis, qua Galliam reſpicit, paſſuum circiter quinque millia complectitur, duplicią. inde valle dirimitur. à dextra, vbi paululum proceſſeris, Galliæ Delphinatum ingrederis; à læua perangusta vallis occurrit, cui à B. Martino nomen eſt. patet hæc paſſuum millibus fere tribus, poſteaq. à ſe ipſa multiplici varioq. tractu ſeiungitur. Regio ferme omnis, in humanis, Allobrogum Duci; in diuinis, Abbatiæ cuidam Pinarolenſi ſubijcitur. Vt à Peroſa capiatur initium; ſunt in ea Curiæ ſex. quarum tres Caluinianis, reliquæ partim hæreticis, partim Catholicis continentur. In ea quam Portas nominant, ſuperiores numero ſunt Catholici. in altera,*

*cui nomen Dobio, ſuperāt Vgonottæ. In horum poſ-*
*ſeſſionem templum recidit: in eoque homines impu-*
*riſſimi, euerſo per impietatem ſacello maximo, abra*
*ſaq. vndique ſacra pictura, ſuas habent ſtatis tem-*
*poribus conciones. Catholici, qui centum circiter ac*
*triginta cenſentur, in anguſtum ſe recepere tugu-*
*rium, vbi qua poſſunt ſedulitate, maxima æquitate*
*animi, aliquot iam annos diuina procurant. Tertia*
*eſt curia, quæ proprio vocabulo Peroſa dicitur, pau*
*cis item referta Catholicis, quæque duo templa cum*
*habeat, alterum vrbanum, alterum ſuburbanum; il-*
*lud tantum Catholicis relictum eſt, hoc quod Me-*
*tropolitanum erat, ſibi vendicant Vgonottæ: eiuſq.*
*procurationi præpoſitus eſt Miniſter quidam, cu*
*non tam curæ diuina res eſt, quam pingue vectigal.*
*Ad huius conciones præter eiuſdem Decuriæ Vgo-*
*nottas, Villaretani quoque populi vicini, ſe confe-*
*runt. Porro quo longius in hac regione proceſſeris*
*qua ad B. Martini vallem flectitur, eò deteriora*
*ſunt omnia. occurrunt Parœciæ quinque, quarum*
*vna tantum Catholicorum eſt, quæ capita triginta*
*vix numerat. reliquæ hæreticis conſtant omnes, tri-*
*bus cum Miniſtris imperitiſſimis. In hac igitur val-*
*le B. Martini, Sacerdos noſter, Cardinalis Vercel-*
*lenſis rogatu, cuius fidei Eccleſia illa credita erat, in*
*obeundis Societatis partibus, iuuandiſq. ijs, qui non*
*curuauerunt genua ſua ante Baal, ſpatium fere bi-*
*meſtre conſumpſit. Ac primo quidem ſignificatum*
*eſt ab hæreticis, ſibi in animo eſſe non modo concio-*
*nem Sacerdoti noſtro, in ſua ipſorum æde permitte-*

re, ſed ei quoque operam dare. poſtea agitatis inter ſe rebus, mutauere ſententiam, noſtroſq. non inhoneſtis nominibus repulerunt. Verum quanquã præclaros ad ſalutem ſuam ſibi aditus præcluſerunt; placuit tamen diuinæ clementiæ duos ad lucem ex ijs tenebris euocare, qui & cõfiteri peccata, id quod nunquã ante fecerãt, & Euchariſtiæ myſteria capere non dubitarunt. Hi coniuges ambo cum ſint & prole gemina præditi, eo locupletior & dulcior viſa eſt præda. Exactis illis, quos dixi, diebus, Pater in alteram vallem, quæ Peroſa dicitur, ſe demiſit. in ea magnus è puerili Catecheſi perceptus eſt fructus. nam cum ad eum initio vigeni fere pueri conuenirent, centeni ſunt ſequuti deinceps. Inter eas Parœcias, quas hæreſis funditus inquinauit, vna quam Pramolenſem dicunt, ſanitatem vehementer expetit: ſed quominus ſana eſſe poſſit, vndique obſidetur ab hoſtibus. adiacet vni lateri plena hæreticorum vallis Angronia: ex altero ad radices montis oppidum eſt quoddam S. Germani, peſtilentiſſimo item cum Miniſtro: nec longe abeſt hoſtis alius non minus acer; qui aſſidue minas terroreſq. iactat, ne diuinum verbum noſtri diſſeminent. ita omnis ad eas animas aditus intercluditur. In id oppidũ, quod S. Germani vulgo dicitur, cum aliquando ſe noſtri contuliſſent, offenderunt omnes ſuo Miniſtro operam dantes. Et quoniam inopinato noſtrorum ingreſſu apparuit, hæreticos illos grauiter eſſe commotos: præſertim quod eorum ante ſynagogam, ijs inſcientibus, tranſiiſſent; Catholici, qui ſeſe noſtris

adiun-

adiunxerant, blandis eos ſermonibus permulſerũt, nihil ſe aliud velle teſtati, niſi vt Pater, quem haberent in comitatu, cum eorum Miniſtro congrederetur. Hæretici vt eis morem gererent, vbi finem Miniſter impoſuit, Patrem ad hominem intromittunt, nam quo minus ipſe prodiret, metus forſitan retardabat. Offendit illum Pater inter Miniſtrorum greges, qui honoris cauſſa ad eum audiendum conuenerant, ſtupidum ac velut mutum aliquod ſimulachrum. totius oppidi fit repente concurſus, ſed egregius doctor diſputationis reformidans euentum, ægre adductus eſt ad certamen. nec vanus fuit ille metus, quippe in ea diſputatione paucis argumentationibus irretitus ſic obmutuit, vt ſuis miſerandus, noſtris irridendus videretur. Excuſabant diſcipuli, præclari magiſtri metum, quod dicerent tam ſubito noſtrorum congreſſu exanimato, minus ex ſententia euentum certaminis contigiſſe. Sed hoc hæreticorum proprium eſt, vt ante diſcrimen feroces, in diſcrimine ipſo ſint pauidi atque imbelles.

## PROFECTIO IN DRONERVM oppidum & Vallem variatam.

DRoneri, quod in his locis præcipua ſedes hæreſum eſt, nonnullos Sacerdos noſter ad Catholicæ Religionis cultum, alios autem ad expiandas præteritæ vitæ noxas per Sacramentum Confeſſionis adduxit. Deinde Natalitijs Domini ferijs, in Valgraniam excurrens, conciones habuit apud frequentem

*em populum è Catholicis hæreticisq. permiſtum. ?get id oppidum idoneis in primis operis, plurima nim in eo quoque hæreſis, apoſtatæq. pernicioſi on pauci, non à Catholica Religione modo, ſed à cœ obitica quoque diſciplina. Ex his quidam magna pud omnes exiſtimatione doctrinæ, Sacerdotem no trum concionantem cum audiſset, eum poſtridie ſe- undum concionem in medio itinere remoratur: illa- oq. de iuſtificatione ſermone, cum multitudo con- urreret Latini ſermonis ignara, Pater, diſputatio- e poſthabita, orationem cõuertit ad populum, eoq. ræſente obſecrare hæreticum cœpit, & exemplis ortari recẽtibus, vt perſpectæ veritati concederet. ræſtat enim ſæpe cum hoc hominum genere acutis iſputationibus abſtinere (populo inſpectante præ- ertim, cui illi inferiores ſe videri nolunt) & plus onderis habet, vbi ſpecimen aliquod modeſtiæ, do- trinæue ſemel editum eſt, aliqua popularis indu- tio, quam docta & pertinax altercatio. Quocirca um ad eiuſdem concionem poſtridie hæreticus ille ediiſſet, etſi ad excitandam cœleſtium veneratio- em ea tota referebatur; tamen & in ipſa concione erpetuis nutibus, & ſecundum concionem diſer- is verbis aſſentiri ſe iis, quæ dicta eſſent, oſten- lit. Regionis ac loci dominus, eximiam volunta- em præ ſe fert aduerſus Catholicam Religionem, icisſimque tetra in hæreticos odia. Is Patri no- ſtro narrauit admirabile quiddam ac plane diui- um. non longe à Valgrania ægram Caluiniſtæ fuiſſe iliam, annos natam non plus duodecim: quam cum*

*uis morbi penitus extinxiſſet, nullusq. iam reſideret in corpore ſenſus, mox cunctis ſtupentibus ſurrexiſſe, euocatisq. Caluiniſtis parẽtibus, qui funeris curãdi cauſſa non longe abierant, ita dixiſſe, Genitores mei, legem iſthanc deſerite (ſectam dicebat hæreticorum, ſic enim loquuntur illi) nam qui ei parent Sathanæ mancipia ſunt & ignis pabulum ſempiterni. Quæ cum dixiſſet, ſtatim recubuiſſe: parentes vero tali prodigio admonitos legem patriam deſeruiſſe, Catholicam ſuſcepiſſe, ex eaq. pie etiamnum Catholiceq; viuere. Quæ res quo exploratior ac certior eſſet, omnisq. dubitandi locus adimeretur, addebat ille, ſe cũ eo ipſo, cui hæc contigerunt colloqui voluiſſe, ab eoq; ſic accepiſſe, vt à nobis expoſita ſunt.*

*E Dronero in aliud oppidum, quod S. Petri dicitur, iter eſt factum, complures ſunt in eo hæreticorum familiæ, fluctuansq. vulgi religio propter peſtilentiſſimas Miniſtrorum conciones. Noſtri de ſuperiore loco docere conati ſunt, vbi tandem domicilium ſuum Chriſti haberet Eccleſia, nec dubitarunt ad confirmandos Catholicorum animos, de Confeſſionis atque Eucharistiæ Sacramentis publice verba facere, eoque præſidio trecenti circiter ex ijs, quorum religio vacillabat, omnem dubitationem abiecerunt. Hæretici, qui de ſacroſancto altaris myſterio concionem audierant, ingenti pudore perfuſi quid ad ea obijcerent, non habebant: nonnulliq. ad Catholicos acceſſerunt. Quæ autem de peccatorum confeſſione habita concio eſt, ea ad confeſſionem ipſam cẽtum amplius & viginti perduxit. Non huius oppidi*

finibus

finibus noſtrorū opera ſe cōtinuit, alias etiam regiones finitimas peragrauit, nec ſine certo lucro atque cōpendio. concurrebatur vndiq. ad cōciones, & quos vel calamitas vel angor aliquis premeret, ij nunquam à Patris latere diſcedebant. Adoleſcens nec nocte quidem à congreſſu Patris diuelli poterat: certumq. erat vel in vltimas terras proſequi abeuntem: ter à Patre dimiſſus, ter repetito itinere rediijt, dum ad extremum effuſus in lacrymas, ſeſe ad querelas & lamenta conuertit, quod eum deſideraturum ſe diceret in perpetuum, quem diſcedentem proſequi non liceret. Hic eſt ille adoleſcens, qui belli tempore (vt conſentiens regionis eſt fama) ad Miniſtrum perductus hæreticum, in concionantis humero tetrum vidit inſidere Bufonem, qui poſteriorē Miniſtri togam tolleret: ad populumq. conuerſus ex ore oculisq. ardentes flammas euomeret. aiunt adoleſcentem ſpectro perterritum corruiſſe, ſublatumq. pro mortuo, inter ſuorum manus, paulo poſt reuixiſſe, ſibiq. redditum, vſtas vſq; adeo ſenſiſſe fauces, vt complures dies ardor ille remanſerit.

Verculum (id oppidi nomen eſt) ne hac quidem hæreſum ſcabie caret. quin regio nulla, magis perfidos & obſtinatos hæreticos tulit: ſudandum vehementer vt ſit, ſi quempiam ad ſanitatem reuocare ſtudeas. Nonnulli tamen ad conciones accedunt, & in his Præfectus oppidi, vir ille quidem natura bonus & ad Catholicam veritatem propenſus, ſed qui tamen rumuſculos metuit & ſermones imperitorum. Proprium huic hæreticorum generi eſt, vt

cœnobitarum vitam moresq́. perſtringant, in eoq́ue vehementer exultant, ſi quando ad id idoneam ſunt nacti materiam. nec ſibi defuerunt, quo minus in Patris noſtri vitam diligenter inquirerent, ab eoq́ue apud quem diuerſabatur, curioſe ſciſcitarentur, quæ eſſet eius viuendi ratio, quæ diſciplina. quibus cum præclarum de eius virtute teſtimonium, contra quā opinabantur, datum eſſet; vereri cœperunt, quem criminari non poterant, & in admirationem odia conuerterunt: facile vt intelligas, quanto plus ſit ad animorum conuerſionem in integritate vitæ; quam in doctrinæ varietate momenti. Actum eſt tamen cum hæreticis ſæpe, tum publice tum priuatim; nec magni negotij fuit vincere non eruditos, tales enim ſe profitebantur: nam cum ex pugna victi diſcederent, cauſabantur aliena ſtudia, quod alijs ſe oblectaſſent in rebus, doctrinarum vero ſtudia non attigiſſent: quæ res tanto magis in ſententia Catholicos confirmabat. Iam conciones ipſis quoque probari ſunt cœptæ. Quidam manantibus lacrymis. quam vellem, inquit, aliam nullam religionem noſſe? Alius autē, quid eſt quod huius concionibus obijci poſſit? Quidam vero, ecquid tandem dici verius aut excogitari poteſt? Ita permoti non pauci, vt à ſuis cum dignitate diſcederent, auide expectabant quotidie, dum ab ijs aliquid decerneretur, qui rerum ſummam adminiſtrabant. Abeamus hinc in Regalem montem, quo Vincentius Laurus Cardinalis, eius loci Epiſcopus, aliquos de noſtris accerſiit.

Hic illi omne ferme tempus in excolendam Ca-

techiſmo plebem contulerunt. Explanabatur enim in æde maxima ingenti concurſu, perpetuoq́. Canonicorum par aderat, quorum modo hic, modò ille has docendi partes obibat. ea autem inita eſt tradendæ doctrinæ ratio, vt non minus corroborata, quam imbecilla ætas alliceretur. Præter Catechiſmum inuecta eſt quotidianæ precationis conſuetudo, tam flagrantibus hominum ſtudijs, vt ea nec calorum, quos tempus anni ferebat, nec negotiorum, quæ ſæpe incidunt, magnitudo, reſtinxerit. cumq́. de ea intermittenda exercitatione, aut certis duntaxat diebus retinenda, quæ mox ardentiore ſtudio repeteretur, actum eſſet: intermitti paſſus eſt nemo. Veſpertinis temporibus, antequam ad orandum Deum ſe quiſq. conferret, Pater præcipua quædam ad commentandum capita proponebat, quibus explanandis eadem opera aut in hominum vitia inuehebatur, aut eos ad obeunda & crebro & cum vtilitate ſacramenta cohortabatur. Cum ille aberat, agebat has partes è Canonicis alter. ac dum populus cogebatur, repoſcebatur à multitudine Catechiſmus. His præſidijs ea quoque conſecuta ſunt commoda. Primum vt liberi patresq́ue familias, Chriſtianæ fidei rudimenta perdiſcant. Deinde ne diei feſti ſanctitas violetur, dum partim concionibus audiendis, partim pia ſupplicatione traducitur. Tum, quod maximum eſt, vt armorum ſeditionumq́. pericula depellantur: nam cum veſperi vltro citroq. clandeſtinæ commearent epiſtolæ, fomes ſegesq́. malorum, nunc precationis beneficio, quæ primis ſe intendentibus tenebris in-

*choatur, his incommodis obuiam itur. Aegrotis & ſubſidia pecuniarum allata ſunt, & orationis ſolatia: luſtratiq; eorum animi ſacramentis; ex quibus affirmauere nonnulli, ſibi à confeſsione melius eſſe cœpiſſe, cum tamen ante grauiter ægrotarent. Complures hanc ſibi quaſi legem indicunt, vt ſingulis ſe menſibus expient. itaque tertia cuiuſque menſis Dominica die, perpuſillum quaſi Paſcha peragitur; tanto ſtudio ad Sacramenta concurritur. Hiſce rebus excitata eſt memoria amiſsi Collegij, idq; nunc tam multi deſiderant, vt nihil niſi querelas exaudias in auctores noſtri diſceſſus: ita vero probatus eſt omnibus noſter aduentus, vt negarint maius vnquam à Cardinali beneficium in ſe profectum. Porro inſtitutum eſt, vt qui confeſsiones excepturi ſunt, ſtatos conuentus habeant, vt quæ ad id munus rite exſequendum; quæq. ad officij rationem pertinent, agitent inter ſeſe. Iactaq. ſunt ſodalitatis fundamenta è lectiſsimis viris, qui ſtatis diebus inter hebdomadam, mutuis ſeſe collocutionibus ad pietatem exſuſcitent. quæ res quantum allatura ſit commodi, apparent iam nunc documenta non leuia. Optandum modo à Deo eſt, vt quæ tam præclare inſtituta ſunt, eodem ſemper curſu ac felicitate ad ſuos exitus proueha ntur.*

PRO-

# PROVINCIA VENETA.

*Continet Prouincia Veneta ſocios ducentos ac nonaginta ſeptem. Venetijs in Domo Profeſſa tres & quadraginta. Patauij quinquaginta. Duodeuiginti Ferrariæ. Viginti quinque Bononiæ. Brixiæ quadraginta. In Foro Liuij ſexdecim. Mutinæ decem. Parmæ viginti. Duo & viginti Veronæ. In Domo Probationis Nouellariæ quatuor & triginta. Placentiæ nouem. Mantuæ decem. Mortui ſunt quattuor. In Societatem recepti quindecim.*

## DOMVS PROFESSORVM & alia quædam Collegia.

*Venetijs præter ea, quæ quotidiana ſunt, hæretici ad ſanitatem reducti ſunt decem (confluũt enim mercaturæ cauſſa peregrini complures) ad eamq. rẽ ſæpe noſtri, vt ad alia multa, quæ grauiorem deliberationẽ deſiderant, adhibentur. Aedificata præterea domus eſt piorum hominum ſubſidijs ſane commoda, aureorũ millibus fere quinque. Patauij triginta circiter è noſtris feſto quoque die Catechiſmum pueris tradunt: eodemq. ſtudio viri*

nobiles excitati, huius muneris partẽ ſibi depoſcunt: atque hoc ardentius res ipſa ſuſcipitur, quod eam pro concione alij quoque concionatores ſummis laudibus extulerunt. nec deſunt corroborata iam ætate viri, qui tantum nomine, & baptiſmo Chriſtiani, elementis Chriſtianæ diſciplinæ ſunt imbuendi. Nobilium adoleſcentium Collegium ab Epiſcopo inſtitutum, & numero augetur & fructu. inchoatumque è puerorum grege, Dei matris nomine ſodalitium.

BRIXIAE fuit hic annus potius animis, quam corporibus ſalutaris. Quindecim è noſtris eodem pene morbi genere laborarunt, cum interim eodem quoque tentarentur externi. E noſtris deſiderati ſunt duo: reliqui diuina clementia conualuerunt. Multa hic in rem animorum geſta ſunt, ſed quoniã ad memoriam nihil habent inſigne, mittũtur omnia. Femina in primis nobilis, cum multis iam menſibus aſſiduis febribus vreretur, vt eam Sacerdos noſter inuiſit, liberam ſe continuo ſenſit. quæ res cum paulatim in vulgus emanaret, noſtri ne gloria, quæ Deo vni debetur, ad imbecillos homines transferretur, perpetuum feminæ ea de re ſilentium indixerunt. Duo in hac vrbe inſtituta ſunt Oratoria: alterum in Epiſcopi ſedibus, alterum domeſticum ac ſecretum: & vtriuſque par eſt vtilitas.

VERONAE animarum quanta ſit præda vel eorum multitudo declarat, qui Cœnobiorum ſeueritatem liberæ vitæ commodis anteponunt. complures in alias, octo in noſtram ſe dicauere familiam. Multi ſunt à cæde, à flagitijs item multi retracti.

Ha-

Habet autem & hic ſuos Societas noſtra beneficos. Vir primarius domum cum hortis Collegio donauit: pretij ſumma aurei mille trecenti. nec deſunt pij religioſiq. viri, quibus inopia noſtra ſit cordi.

FERRARIAE hæretici tres è ſua caligine ac tenebris, in lucem Catholicæ veritatis eruti ſunt. Iudæi etiam quinque ad Baptiſmum eruditi. eademque opera, inſtituta ab Epiſcopo earum virginum ſodalitas, quæ in paternis ædibus vitam degunt. quo ex numero multæ iam antea Deo ſua corpora animaſq. deuouerant. Haberi præterea ſtatis diebus hominum conuentus eſt cœptus, qui de pijs inter ſe rebus ſane quam vtiliter colloquantur.

BONONIAE, duo viri nobiles in diſciplinã Societatis adſciti ſunt.

PARMAE, meretrices ſexdecim cum ad ædẽ noſtram concionis cauſſa ſe contuliſſent, turpitudinis ſuæ ipſæ pertæſæ, ad honeſtatem pudoremq. ſe retulerunt.

## COLLEGIVM MANTVANVM.

Acceſſit hoc anno ad reliqua huius Prouinciæ Collegia Mantuanum; Sereniſſima Ducis coniuge flagitante, Leonora Auſtria, Imperatoris Maximiliani ſorore, & huius, qui nunc eſt, amita, lectiſſima & pientiſſima femina, ſimillimaq. ceterarum ſororum. Dedit enim his Deus feminis, vt præcipua

quadam religione præſtarent. Ea igitur cum Collegium Societatis optaret, idq. à Deo multis ac diuturnis precibus flagitaſſet, egit ad extremum ea de re cum viro, ad omnem pariter humanitatem pietatemq. propenſo; ita inter ſe vterque de aduocanda Societate conſenſit. Egit poſtea Dux ipſe cum noſtris: & vt de dando accipiendoq. Collegio deliberatum eſt, aream decreuit ad ædificium, haberiq. voluit loci delectum, mutariq. ſemel atque iterum ſedes, vt quam opportuniſſimo loco eſſent. Neque ipſe modo in eam rem multa liberaliter contulit, ſed etiam ædium dominos beneficijs ſibi deuinxit, quo minoris ſua quiſque diuenderet. Sæpe cum Rectore longos ac familiares ſermones habuit plenos ſpei, plenos humanitatis, multiſq. documentis, quanti nos faciat, oſtendit. Non dum Collegium ſuos reditus exigebat, cũ ille tamẽ, vt Societas deduceretur, vrgebat: cumq. negaret Pater, id fieri ſatis commode poſſe, nulla adhuc parata ſupellectili inſtrumentoq. domeſtico, reſpondit, id ſibi curæ fore: æquum enim eſſe, vt cum tam multa in alias fabricas erogaret, in opus tantæ pietatis, quantæ intelligeret eſſe Societatis Collegium, multo liberalius ſuam pecuniam impenderet. Ad alias ſignificationes amoris, non modo crebro noſtras ad Deum preces, ſed benefactorũ etiam communicationem Societatis noſtræ, & ſibi & coniugi poſtulauit. quam quidem P. N. Generalis perlibenter dedit, ſuamq. voluntatem binis litteris teſtatam voluit, rem vtrique gratiſſimam. Coniugis vero charitas ſic enituit, vt nulla mater tam vnice

ſuos

ſuos filios diligere videatur, quam illa Collegium. Pia femina vt Collegij fortunas annuo vectigali vel mediocriter ſtabiliret, pecuniam è ſuis veſtibus gemmiſq. redegit, eo animo vt progrediente tempore vectigal ipſum amplificaret: id quod facillime, ſi vita ſuppetit, conſequetur. Nam à ſuis ciuibus ſic amatur, vt inter eos ſit futura contentio, quinam Collegio plus afferat ornamenti. Sane initia fuere præclara. nondum exigi, vt dixi, cœperant annui fructus, cum huc pedem Societas intulit, & tamen præſtanti religione femina tantum vndique ad ſuos alendos Patres (ſic enim pro ſua pietate nos vocat) pecuniæ conquiſiuit, vt domum noſtram non modo neceſſaria ſupellectili inſtruxerit, ſed ijs etiam rebus ornarit, quæ ad annuũ victum cultumq. pertineant. Difficile dictu eſt, de rebus noſtris quantæ ſit illi curæ, in eoque quanta cum voluptate & pietate verſetur: ita vt cum de nobis incidit ſermo, ſæpe lacrymæ ſubſequantur. Sæpe nos muneribus donat, ſæpe mittit ad Collegium plenis manibus pueros: cumq. aliquando P. Prouincialis puero, qui munus attulerat, diceret ſibi videri, nihil aliud Sereniſſimã Dominam, niſi vt quemadmodum Societati benigne faceret, cogitare: At, ille inquit, multo ei arbitror eſſe ſuauius, quod huc mittit, quam quod ei paratur in eſcam. Quid? quod omnem quoque linteam veſtẽ non modo corporum, ſed ipſis quoque culinæ vſibus neceſſariam (quæ eſt eius ſingularis humilitas, ac religio) ſuis ipſa manibus conſuit: habetq. pediſſequas in ea re nobiles adiutrices. cumq. morbo impedita

dita biduo triduoue ceſſare ab opere cogeretur, nihil tam dolebat, quam quod cũ ceteris feminis acum ducere non liceret. Hæc pietas & ſi in Dei famulos eſt præcipua, non tamen noſtris duntaxat ædibus definitur. patet latius, & per omne genus hominum peruagatur: vt iam Mater pauperum vulgo habeatur. Nullum tempus opitulandi miſeris prætermittit: publica Noſocomia, priuatorumq. ædes, in quibus ægros eſſe compererit, interuiſit: idq. tanto ſtudio atque alacritate, vt nemo vnquam vel tenuiſſimus eius optarit officium, cui non illa perbenigne contulerit. Sæpe nocte intempeſta de cubili ſurrexit, vt ægris duntaxat adeſſet, ſæpe cum ijs triduum quatriduumue traduxit. ingenueq. confeſſa eſt aliquando P. Prouinciali, cum ille forte prodeunti foras, interueniret, ſe quidem auræ captandæ gratia ſimulare exitum, re tamen vera ad feminam ſe prodire grauiter affectam, Quæ quoniam, inquit, in me ſecundum Deum ſpes ſuas habet, bonæq. vt audio, exiſtimationis eſt mulier, faciendum mihi eſt, vt eam hodie conuiſam. Multa præterea ad ægros domo mittit, quæ in eorum vſus ſuis ipſa manibus apparauit. nam & bellariorum, & aquarum, & olei complura genera ægrorum cauſſa domi conficit: ſæpeq. fit vt longos abigat morbos, ægroſq. diuturna medicorum arte deluſos, domeſticis tantum præſidijs ac curationibus ad priſtinam reuocet firmitatem.

Iam Scholæ, vt nunc quidem, apertæ ſunt duæ. Ad has honorarios ex ſua familia pueros Dux mittit,

,eoſq. non modo Gymnaſij legibus, ſed aliis quoque domeſticis vult aſtringi, quas eius poſtulatu condidit Rector. Atque hic ortus Mantuani Collegij, cuius par progreſſus ſperari debet, hiſce patronis ac fautoribus.

PRO-

# PROVINCIA SICILIAE.

COmplectitur hæc Prouincia de no ſtris ſeptem ac trecentos. In Pro feſſorũ Domo Panormi vndequin quaginta. In Collegio duodetrigin ta. Meſſanæ octoginta. Syracuſi ſeptemdecim. Catanæ vndeuigint totidem Calataieronæ. In Collegio Montis regal vndecim. In Biuonenſi ſedecim. in Drepanitano to tidem. Rhegij quindecim. In Probationis Dom Meſſanenſi ſeptem & viginti. Vita functi ſunt ſe ptem. adſcripti undeuiginti.

## DOMVS PROFESSA PANORMITANA & alia quædam Collegia.

IN Panormitana Profeſſorum Domo, maxim cum incrementis diuina res agitur. Sacrament rum præſidio multis animorum morbis occurritu Ciuis fœdis captus amoribus, amicæ ſpeciem au inſculptam, tanquam ſanctum aliquid de collo ſ ſpenderat: is vt ad expianda rite peccata perduct eſt, ſuæ pertæſus amentiæ, id idolum coram ſacerd te noſtro comminuit, reſtinctiſq. inſanæ mentis a doribus, crebra per ſacramẽta ijs ſeruire cœpit am ribus,

*ibus, qui vni & ſine libertatis iactura & ſine tur-tudinis nota ſuſcipiuntur. Feminarum vero libido ſque eo coercita eſt, vt ſacerdos duntaxat vnus illum prætermiſerit fere menſem, quin aliquot ex genere mulierculas ad pudicitiæ decus ab impu-tate illa cœnoq. traduxerit. Sed hæc iam toties de-antata diſſimulemus ſane ſilentio, neque de recon-liatis hominum voluntatibus, quæ nec paucæ fue-nec leues, neque de propulſatis animorum peri-ulis, neque de egenorum inopia per pios homines ibleuata dicamus. illud indicaſſe ſit ſatis, Domum inc ſuperiore anno inſtitutam tam lætos iam habe progreſſus, vt haud ſciam an quiſquam tantos ſpe are ſit auſus. Nec deſunt gratuita pecuniarũ ſub-dia, quibus non modo ſociorum numerus, qui nunc ſt, ſed longe maior, ali commode poſſit. Augeat ꞇeleſte numen, quæ tam clementer orditur, nec ſi-at, quæ à ſe tam pulchre inſtituta ſunt, noſtra incu-ia noſtriſq. culpis euerti.*

*MESSANENSE Collegium Societati peperit ptem circiter & viginti, alioſq. habet ferme qua-raginta, qui id ipſum vehementer efflagitant. Verũ tantis lucris duorum eſt facta iactura. Sacerdo-es erant ambo, eorumque alter annos tres & qua-raginta in Societate conſumpſerat. is fuit Philip-us Caſſinus, qui ſemeſtri morbo acerbiſſime confli-tatus perſeuerantiæ gloriam, patientiæ meritis cu ulauit. Iam quæ de Profeſſorum Domo Panor-itana diximus, eadem in hoc Collegium cadunt om ia. Sed inter gratiarum reconciliationes ea fuit in-*

*ſignis.*

ſignis. Nobiles inter ſe familiæ ijs ardebant odijs vt ad conditiones pacis nullis precibus flecti poſſent quartumdecimum iam annum implacabiles nutriebant inimicitias, cum è diſcordibus vnus, in qu maximum ad compoſitionem videbatur eſſe momentū, morbo corripitur. Is cum ſuis rebus valde metueret, confeſſionis cauſſa Sacerdotem accerſit è noſtris qui vt confitenti operam dedit, ſenſitq. tum demum oblatum eſſe tempus, finem tantis imponendi diſcordijs, ægrum animat ad concordiam. facile in anim iam parato inſedit oratio. aduocat æger fratrem cum eoque de reconciliandis ſibi inimicorum animi enixe contendit: tantumq. valuit de contemnendi iniurijs ægrotantis oratio, vt facilem Patri conciliandæ pacis aditum aperuerit. cumq. in ædem noſtram Patris conſilio, diſcordes homines conueniſſent, fuſi coram Eucharistia precibus, mutua collacrymatione atque complexu firmata pax eſt. Sed quanquam in animorum cauſſa ſociorum verſatus eſt labor, tamen ne cauſſam quidem corporum, vbi opus fuit, eorum pietas prætermiſit. Pridie Kal. Iunij tantum eſt incendium, neſcio qua incuria, in proximis ædibus excitatum, vt niſi ſuæ clementiæ Dominus meminiſſe longe lateq. peruagaturum fuiſſe videatur. Edito quod ſolet, ſigno, ad reſtinguenda nata recens incendia, tota pene ciuitas excitata eſt. Noſtri non cunctandum rati, vbi ſalus agitur proximorum, ſtatim aduolant, & in crebris flammarum minis, alij aquas ad extinguendum afferunt, alij ab incendio domeſticam ſupellectilem prohibent, quidam mærorem miſeris,

con-

onſolando leuant, alij obuium quemq. ad mitigan-
os ignes hortātur. horum ſtudium pia Rectoris cha-
itas incitabat. is laborantibus vt adeſſet, ignium con
agia non horrens, in eam ſe partem, vbi maxime po
ulabatur ignis, iniecit. Sed cum mali velocitas re-
nedia anteiret humana; Pater ad diuina confugiēs,
gnos è cera fictos rite conſecrata, iaculatur in ignē:
tatimque quaſi quibuſdam imbribus debilitata pri-
num flamma & compreſſa mox eſt.

YRACVSIS quoque ſociorum pietas nocturnū
xtinxit incendium: id cum officinam quandam no-
ſtris ædibus continentem comprehendiſſet, vnuſque
noſtris ad nocturnos flammarum crepitus homi-
umq. turbas euigilaſſet, extemplo ſe lecto proripit:
æteroſq. excitos è ſomno, ad defendēdos ædiū domi-
ios & fortunas hortatur. Graſſabatur toto impetu
gnis, nactusq. pabulum, quo ſe aleret, vires acqui-
ebat eundo. prorſus vt coniuncta quoque ædificia,
iſi celeriter occurreretur, in fauillam cinereſq. re-
igeret. Noſtri de aliena non minus, quam de ſua
alute ſoliciti, ſtrenue certare cum flammis, morari
mpetum aquis, nec prius cohibendi finem facere,
uam penitus deuictus eſt ignis. Reſtincta ſunt
tiam Syracuſis contentionum incendia, eaque &
cerbiſsima & crebra, præſertim quæ ex odijs Prin
ipum orta erant, quæ tamen vt alienæ dignitati
arcam, ſileri facile patiar.

## CATANENSE ET RELIQVA Collegia.

CAtanæ virginum pudori conſultum eſt, et quæ virginitatis theſaurum à rapaci hominum libidine prohibere non poterant, in tuto honeſtoq. loco collocatæ ſunt. Sex eæ fuerunt præter alias, quæ induſtria ac labore noſtrorum, è vario dedecore emerſerunt. Virgo quædam è præſentis necis erepta periculo, in ſacrarum virginum cœtum, velut in tutiſsimam arcem incluſa eſt. Ac ne Catanæ quidem veteres reſarciendi gratias occaſio defuit. Vir nobilis, qui ad deponenda arma nullis vnquam induci precibus poterat, ex collocutione Sacerdotis noſtri adhortantis ad pacem, teſtatus eſt, ſe vim quandam ſenſiſſe diuinam, cui reſiſtere diutius odio retinendo non poſſet: atque iccirco æquo animo iniurias ſe miſſas facere. Conditum eſt hoc anno Dei Matris nomine ſodalitium è ſodalibus quinquaginta, non adoleſcentulis modo, ſed confirmata iam ætate viris, iiſque partim Philoſophis ac Theologis, partim iuris legumq. magiſtris. Voluit in eum quoque numerum Vicarius Generalis adſcribi, iſq. Chriſtianæ demiſsionis exemplo & ſingulari quodam pietatis ardore calcar eſt ceteris.

BIVONAE tam acerba iracundiæ flamma inter fratres exarſerat, vt ex iis vnus, quo ſuas iniurias punire poſſet impunius, cum latronum ſe grege coniunxerit. is poſtea, fide publica accepta, domumq. reuerſus mortifero correptus eſt morbo, ac-

citoq.

itoq. Sacerdote noſtro, rite culpas abſterſit. cuius
ıcramenti tanta vis fuit, cohortatione Patris adiū-
ta, vt ſuis fortunis egenorum diuiſis inopiæ, ſanctiſ-
me è vita migrarit. Alijs etiã vnde acceptæ erant
iiuriæ, data impunitas eſt. Vir nobilis cum feminæ
moribus æſtuaret, ad explendas ſuas libidines cæ-
em parauerat viro, iamq́. ſicarios occulte præmi-
rat, qui trucidarent incautum, cum ecce tibi rem
ıbodoratus vnus è noſtris, properantes ad cædem
omines reprehendit, tantoq́. ardore apud eos ver-
a fecit, vt à meditato ſcelere temperarint. Nec mi
us concionibus, quam priuatis congreſſibus ad of-
cium virtutemq. proficitur. Acri ciuitas fatigaba
ır annona, cũ concionator noſter, vt egenis oportu-
e conſuleret, eos grauiter accuſauit, qui maiori ſpe
ueſtus frumenta comprimerent. anſam accuſandi
ræbuit ea ſapientis oratio, QVI abſcondit frumen-
ı maledicetur in populis. quibus ita permotus eſt
ues quidã, vt patefactis continuo horreis frumen-
ı protulerit, multiſq́. qui ſoluendo non erant, gra-
ũita ſubſidia tribuerit.

RHEGII adiuncta ſodalitas eſt non quidem ex
ıditorum, ſed è ceterorum ciuium genere, qui pijs
ccitati colloquijs crebriſq́. confeſſionibus delicto-
ım, mentem, quoad fieri poteſt, immunem ab omni
be conſeruent. Nec defuere in hac ciuitate diſcor
es, noſtris conciliandi laboribus, præſertim qui iam
gentes ex odij acerbitate clades acceperant.

CALATAIERONE vt leuiora mittamus,
ıella quædam cum cogeretur à ſuis matrimonium

inire cum eo, a quo ipſa maxime abhorrebat, ſola
voce aſſenſum præbuit. ea res perpetuas fouit inter
vtrunq. diſcordias, nec prius odijs coniugalibus fa-
ctus eſt finis, quam ſe cum immortali Deo, expiatis
apud nos animis, coniunxerunt: tum demum & ore
& animo matrimonij ſancitum eſt fœdus.

Et quoniam huc ſermo frequenter incidit, vt con
donatæ memorentur offenſæ, alienum non erit affer
re exemplum mulieris ſingulare, cui DREPANI
necatus eſt filius: quæ quoniam ne iras quidem ad-
uerſus percuſſorem odiumq́. ſuſcepit, nulla ſcilicet
cohortatione placanda fuit. Erat huic vnigena fi-
lius, ſine quo vitam acerbam atque iniucundam pu-
tabat: ſed non potuit hac frui iucunditate diutius, mi-
ſere enim ille ab inimicis interijt; illatumq. exanime
corpus in maternas ædes, recẽti cruore oblitum, fœ-
dis uulneribus deformatum. ſpectaculũ ſane atrox
quod lacrymas non modo ei, quæ genuit, ſed ipſi
etiam barbaris extorſiſſet. illa tamen tam diro aſpe-
ctu laceſſita, nullis eiulatibus angoribuſq́. ſe dedit,
neque imitata eſt plangores inutiles feminarum
naturam fortiter vicit, & præſtantiſſimum vltioni
genus rata, iniurias beneficijs remunerari, pro e
qui filium abſtulerat, Deum ſupplex orauit. Non im
plorauit iudicum ſubſellia, non conquiri auctorem
facinoris voluit: ad vnum omnium æquiſſimum iud
cem adijt, qui iniurioſorum vindictã ſibi reſeruat
non quidem vt auctorem cædis ad pœnam ſuppli
ciumq́. depoſceret, ſed vt impunitatem ei precare
tur & veniam. poſtea ad ædem noſtram ſe contulit

vitæ-

itæq. noxis confeſſione deletis, Chriſti corpus ac-
epit. Et quoniam ſemel in Chriſtum liberalis eſſe
æpit, viribus quoque ab eo eſt aucta maioribus, vt
uam maximos ad perfectam virtutem progreſſus
abeat: & quæ non frequentiſſime ſacramentis ani-
ıum expiabat, nunc expiet perfrequenter. Colitur
tiam à ceteris ædes noſtra, ſeu viris ſeu feminis
itis multis: & quanquam non ita pridem humani
eneris hoſtis, per homines nequiſſimos eam nobis
otam conatus eſt inurere, vnde omnis animarum
ſalus retardaretur: tamen tantum abeſt, vt in
dubium venerit viris bonis Societatis in-
tegritas, aut templi ſit imminuta
celebritas, vt potius iniquiſ-
ſimis improborũ cri-
minationibus il
luſtratis,
exiſtimationem, quam de no-
ſtris habebant non
mediocriter au
xerint.

# PROVINCIA NEAPOLITANA.

SOcij ſunt Neapolitanæ Prouinci
ducenti fere ac ſeptuaginta. In
Profeſſorum domo Neapolitan
vnus & quinquaginta. In Neapo
litano Collegio centum circiter a
duodecim. Nolæ quadraginta. Ca
tazorij viginti. Quattuor amplius Aletij. Bar
ſeptemdecim. Ciriniolæ tres. Mortui ſunt nouem
recepti ſeptem ac triginta.

## DOMVS PROFESSA.

PRofeſſorum domus, quoniam in ea parte vrbi
ſita erat, quæ ad obeunda Societatis muner
minus commoda videbatur, dum de transferend
ſuis ſedibus aliò cogitat, ecce tibi præter ſpem pra
terq. expectationem, egregium Salernitani Princ
pis palatiū venale proſcribitur. Id cum ad noſtr
vſus videretur aptiſſimum, noſtri tam præclara
occaſionē minime dimittendam rati, de emendis æd
bus ſine mora deliberant, nec prius à re ſuſcepta d
ſiſtūt, quam celeriter eſt confecta. Eſt hoc palatiu
aperto celebrique loco, tanta amplitudine vt laxiſſ
mum intra ſe templum abdat. extructum eſt extr

ecus quadrato lapide cuſpidatim, adamantis inſtar
xciſo, opere magnifico ac regio. Venijt aureorum
illibus quadraginta ſex: in eoq. emendo multum
bis attulit adiumenti Oſunæ Ducis auctoritas, hu
s Regni Proregis. Is cum ſemper fautorē in ea re
bis ſeſe præbuit, tum nulla interpoſita mora, duo-
ecim aureorum millia Regio ex ærario, quæ nobis
eſpaſianus Gonzaga donauerat, numeranda cu-
uit. reliquam pecuniam partim venditæ priores
des, partim liberalis hominum pietas ſuppeditauit.
ed quoniam futuri templi deſcriptio omnem am-
litudinem ædium uidebatur abſumere, ad reliquā
oſtrorum habitationem, proximæ coemptæ ſunt
des aureorum millibus fere decem. Migrarunt eò
oſtri extremo Iulio, templumq. ſubito opere ex-
tarunt, dum ſplendidius magnificentiuſq. conda-
ur. eius fundamenta, Decembri menſe fodi ſunt cœ-
ta: primuſque à Prorege iactus eſt lapis, huiuſce-
odi cum inſcriptione. VIRGINIS Conceptę
emplo extruendo Societas IESV Profeſſa
eiecit XVIII. Kal. Ian. M. D. LXXXIV.
Nam cum ipſis conceptæ Virginis octauis, caperen-
ur initia, iure factum videtur, vt eidem conce-
tæ Virgini dicaretur.

## COLLEGIVM NEAPOLITANVM.

NOn minoribus incrementis Collegij Neapo-
litani aucta res eſt. Cum enim & habitatio-
s & æris alieni premeretur anguſtijs; hanc Deus

Robertæ Caraſæ lectiſſimæ feminæ, ac Mataluni Du-
cis coniugi mentem dedit, vt & æs alienum aureo-
rum millium ſex & triginta diſſolueret, & in Colle-
gij ædificationem aureos ducenos in annos ſingulo-
attribueret. Pro tam ſingulari beneficio Patre Ge-
nerali mandante, Fundatricis ei nomen delatum eſt
Ea poſtea impetrata â Summo Pontifice poteſtate
nobilibus comitata Matronis Collegium inuiſit
eiuſq. aduentum noſtri pro ſuo quiſque ingenio a
facultate, vario emblematum verſuumque gener
celebrarunt. His præſidijs ſociorum amplificatu
eſt numerus, & ad ſuperiores Magiſtros tũ in Phi-
loſophia Doctor alter adiectus, tum in explicandi
conſcientiæ rationibus alter. Inſtituta quoque intra
domeſticos parietes Humanitatis eſt ſchola, quæ fu-
tura ſit veluti quoddam Magiſtrorum in vniuerſ
Prouincia ſeminarium. Pietatis par cura fuit
quatuor ad nos è noſtris auditoribus tranſierunt
E duobus Dei Matris cœtibus eadem fructuu
vbertas. Ac præter cetera benefacta, ſunt qui vir-
ginum pudicitiæ ſtudioſe ſuccurrant: vnuſq. virgi-
nem, cuius periclitabatur integritas, magno emptã
in tuto honeſtoque loco collocauit. Complures eti
caſtitatis amore ſua ipſi corpora, perpetua ſponſio-
ne voti Deo conſecrant: ex eoque numero trigint
circiter in varia ſe recepere cœnobia. Duo coniuge
caſtimoniam Deo cum vouiſſent, tres ipſos annos
ſaluo incolumique voto, in eodem ſimul lecto cubu-
runt: ſed ne quid loci humani generis hoſti relinque-
retur, qui dies nocteſque peruigilat, vt aliquand

ec opinantes inuadat, coniugio rite dirempto, ad
uſtodiam tanti theſauri in cœnobiorum clauſtra
erfugerunt.

Doctrinæ Chriſtianæ ſchola ſuperiore anno in-
hoata, maiora quotidie capit incremẽta. Ea in claſ-
s diuiſa nouem (nam vt quiſque plura ex Cate-
heſi didicerit, ita deinceps ad ſuperiorem claſſem
ſcendit) auditores numerat ſeptingentos. hi omnes
ctauo, ſummum decimo quinto quoque die myſte-
ia diuina percipiunt, precationi ſtudent in primis,
oluntarias pœnas vltro ſuſcipiunt, peregrinationes
anctas inſtituunt, à flagitijs homines retrahunt, nec
e ſua tantum, ſed de proximorum quoque ſalute
borant. Itaque Dei beneficio, vnde hæc incremen-
a proueniunt, eo deducta res eſt, vt plurimi cœno-
ia meditentur, ad eaq. ſe viginti contulerint. Sed vt
ſodalitatibus abeamus; acceſsit ad reliquas vtili-
ates, inſignis Turcæ baptiſmus, qui, dum in patria
uperſtitione pertinacius hæret, omniaq. ſalutis mo-
ita reſpuit, rogatus à noſtris, vt priuſquam certi
liquid conſtitueret, certam ſibi lucem ab immorta-
i Deo accuratis precibus imploraret: fecit, quod ro
abatur, ac demum cœleſtem lucem, quam velut nu
es quædam, obſtinatio animi occultabat, aſpexit. er-
o redit ad noſtros, baptiſmumq. quam primum fla-
itat: adeptusq., doloribus etiam, quibus ad eum diẽ
rebatur acerbis, releuari ſubito cœpit: vt intellige-
et, quam ſalutaris eſſet animis aqua baptiſmi, quæ
c affectis corporibus mederetur. Non ita multo
oſt conſeruus eius, qui hominem à baptiſmo peſsi

me oderat, nocturnis tenebris experrectus, admira-
bili quadam luce totum vidit collucere cubiculum:
ſenemq. ſibi vt Chriſtianus fieret, imperantem. de-
ductus ad noſtros Catechiſmo præparatur ad fontē;
vt vnde odium exarſerat in conſeruum, inde chari-
tas oriretur. Claudet hoc Collegium Gulielmi El-
phinſtonij obitus, cui conſulto reſeruamus extrema
quò de eo plura narremus. quanquam, vt in ceteris
pauca de multis. Is fuit Scotus ex nobili illuſtriq;
Elphinſtoniorum familia, Regium ſanguinem affini-
tate contingens. qui cum hæreſim vna cum nutricis
lacte ſuxiſſet, qua ipſi quoq. parentes vna cū Scotia
vniuerſa, quaſi communibus quibuſdam tenebris te-
nebātur, vt adoleuit, ſtudiorū cauſſa ſeceſsit in Gal-
liam. vbi inuſitata quadā luce diuinitus illuſtratus
è multis varijſq. periculis in portum Catholicæ veri-
tatis euaſit. Inde Romam venit, ingreſſuſq. Semina-
rium conuictorum, cui noſtri præſunt, ita ſe ad om-
nem pietatem ac diſciplinam excoluit, vt breui tem-
pore Societatis mentem cogitationemq. ſuſceperit.
Sed cum in morbum eiuſmodi cecidiſſet, vnde rele-
uari ſine mutatione loci vix poſſet, viſum eſt amicis,
vt Neapolitani cœli, quod paulo clementius habe-
tur, periculum faceret. Sed vt Neapolim attigit, ex-
ceptusq. perhumaniter eſt a noſtris, dum ei hoſpitiū
curatur idoneum, eo ipſo die correptus eſt febri:
abierant iam dies aliquot, nec tamen pertinax fe-
bris vllis curationibus recedebat. Placuit diuinæ ſa-
pientiæ nouum adoleſcentis exemplum, qui nondum
religioſis ſeſe aſtrinxerat inſtitutis, proponere no-
ſtris

ſtris ad imitandum. prodidit enim morbus ipſe, quan
ta lateret in occulto virtus, & quam nihil cederet
tot deuotis capitibus liber adhuc & ſui iuris tiro. ni-
hil eſt difficilius, ſi rem actione, non mentis tantum
agitatione perpendas, quam voluntatis humanæ cũ
diuina ſempiterna concordia. hac ille virtute ſic præ
ſtitit, vt nihil ei fuiſſe videretur antiquius. In eo mor
bo, cum rogaretur, vt ſolet, vti valeret, illud ſemper
reſpondebat vnũ, Vt Deo placet, Vt videtur Deo. ſa
nari ne vellet; Qui poſſum (inquit) id velle, quando
meus ipſe non ſum. atque hoc ei erat ſemper in ore,
vt quoties ex eo aliquid eiuſmodi quæreretur, Dei
ſe eſſe diceret: nihil ſibi reliquum eſſe libertatis, in
eius ſe tranſiſſe ius & arbitrium, in eoq. omnia ſua
ſibi eſſe. In tam graui moleſtoq. morbo nihil vnquã
vltro petijt, nihil oblatum recuſauit. Verum cum
medici eius vitæ ſalutiq. diffiderent, ſuis ille ratio-
nibus conſultum volens, Deo Opt. Max. vouit, ſe non
defuturum, cum primum licuiſſet, quo minus in no-
ſtrum numerum gregemq. veniret. Non ita multo
poſt, accerſito Prouinciali, ſuum illi conſilium & vo
luntatem exponit, enixeq. rogat, vt ſe voti compo-
tem faciat. cauſſa erat eiuſmodi, vt pater non ſine cœ
leſti impulſu, neque negandum, neque differendum
exiſtimaret. eius itaque poſtulationi conceſsit: po-
ſtridieq. ſacra Euchariſtia ad lectum delata, aſtan-
te toto ferme Collegio, denuo ex concepta formula,
Religionis vota non ſine incredibili quadam diuinæ
voluptatis dulcedine nuncupauit. Ab eo tempore vt
de Saule ſcribitur inter Prophetas, ſic in eum ſimul
ac

*ac aggregatus eſt inter ſocios, viſus eſt ſpiritus Domini multo copioſior atque vberior inſiluiße, vt non tironem diceres, ſed qui in religioſa diſciplina egiſſet ætatẽ. Paupertatem ſubito ſic adamauit, vt non modo Rectoris arbitrio omnia, quæ ſecum aduexerat, quæq. Romæ reliquerat, ſponte permiſerit, ſed ne minutiſsima quidem ſibi ipſe reſeruarit: intimam tunicam, quã geſtabat, ne quid omnino è profanis veſtibus retineret, abiecit, alterãq. popoſcit è noſtris. Iam ſtudio patiendi pro Chriſto (quæ potiſsimum nota, eos qui cœleſti ardent amore à ceteris ſegregat ac ſeiungit) tam incenſo flagrabat, vt non modo febris æſtum & reliqua morbi incommoda æquiſsimo animo toleraret, ſed etiam hoc ipſo non mediocriter angeretur, quod nihil vnquam, vt ipſe aiebat, aduerſi Dei nomine pertuliſſet. Quæ res tanti erat apud eum, vt rogatus, adhibiturusne preces eſſet pro præcipuis quibuſdam amicis, ut ſe ſequerentur in cœlum, reſponderit oraturum potius, vt in hac vita, Chriſti cauſſa, multa indigna atque acerba perferrent. Acceſſit aliquando ad febriũ ardores moleſtiſſimus cordis angor, tantumq. abeſt, vt aliquid ingemiſceret, vt in eam ipſam partem, quæ maxime torquebatur incumberet: rogatusq. cur ita faceret, confeſſus ingenue ſit, quo magis vim doloris amplificaret. Aiunt etiam inuiſenti ſe Patri cuidam mane, viſum expoſuiſſe: aſtitiſſe ſibi per quietem cuſtodem angelum, quæſiſſeq. ſi daretur optio, vtrum tandem optaret, ad ſemihoramne poſt mortem igne purgante torqueri, an dies in hac uita triginta, febrium ar-*

dore

dore iactari: ſe uero reſpondiße, proximum, & cur id eligeret, attuliſſe, quia dum uita ſuppeteret cumulandis patiẽtiæ meritis locus eſſet. Porro nihil in eo ſic enituit vt religioſi amor obſequij. prorſus vt cadauer, quod tractantibus non reſiſtit, in omnẽ partẽ verſari & circumagi ſe ſinebat: nec vero quiſquam medicorum nutibus obſequentior. quantum hi ad eſcam victumq́. præſcriberent, tantum ille vel cum nauſea moleſtiaq́. capiebat: viciſſimq́. in ſedanda ſiti, qua maxime æſtuabat, nunquam ne guttam quidem aquæ, vltra præſcriptum vel hauſit vel poſtulauit. Cumq́. ex eo, vt ſolet, nũquid appeteret, quæreretur, nunquam reſpondebat aliud, niſi quod medicis viſum eſſet: ita vt omnem interrogandi cupiditatem adimeret ſimilitudo reſponſi. Maximæ admirationi fuit in tam viridi ætate, tum cum vel maxime dulcedo vitæ delectat, mortis amor atq́. contemptio. Nam cum ſupremam ſumeret medicinam, in qua aliquid videbatur eſſe fiduciæ, Quam vellem inquit nihil mihi prodeſſet: illud tamen dolebat & querebatur aſſidue, quod per morbũ viriumq́. languorem, non liceret pro voto ſeſe ad mortem ſedulo comparare. Inuentus eſt aliquando plorans, cauſamq́. non reddidit aliã, niſi quia ſumma imbecillitas virium, intentionem Deo vacantis animi retardaret. quod ipſum tamen extremo illo morbo, cum vires corporis exhauſtæ iam eßent, conſequutum ſe non obſcure ſignificauit. Plurima erat de Deo mentio, plurima de rebus ſuperis cogitatio. in eaq́. re nulla erat defatigatio, nulla ceſſatio, imo voluptas nul-

la maior, nulla iucundior. Cum ad mortem accederet propius, qua fuit animi ſubmiſſione, à Patre Prouinciali contendit, vt vniuerſis, quorum expertus eſſet officia, ſuo ipſe nomine gratias ageret, rogaretq. ſibi vt ignoſcerent, ſi quid apud eos eſſet offenſum: iuberetq. in cubiculum congregatos ſuis adeſſe precibus morienti: magnum enim ſe ex eorũ præſentia fructum eſſe laturum. Quos vt confertim introeuntes aſpexit (placuit enim æquiſſimæ poſtulationi concedere,) elatis præ lætitia vocibus, Quam glorioſus, inquit, obitus tot Angelorum conſtipatus agminibus? Sed in perpetua quadam lætitiæ voluptate, qua eius animus mulcebatur, recreabat ea maxime cogitatio; quod in Societate diem vltimum clauderet. Mitto, quam religioſos ſermones cum Deo Deique Matre vna conferret: quam arcte Chriſti complecteretur effigiem, quam pia vulneribus oſcula figeret; vt eos etiam, qui ſpectarent audirentue, quaſi quibuſdam facibus inflammaret. Cum ei fratres Crucifixi ſignum amouere conati, requiem aliquam ſuaderent, nunquam ſibi illud extorqueri paſſus eſt; quod diceret, tum ad Deum abeundi, non quieſcendi tempus eſſe. tamen illorum perſeuerantia victus, ſignum quidem pendentis IESV dimiſit è manu, ſed continuo proximã Dei Matris arripuit imaginem, alteramq. noſtri Ducis ac parentis Ignatij, quem in eo morbo præcipua quadam religione dilexit. Tum repentino quodam exorto gaudio atque inuſitato, Non videtis, inquit, Angelos, non videtis? mox muſſitando Angelum

ſuum

ſuum ſæpe compellans,quædam cum eo dicitur col-
ocutus,quæ nequaquam ſatis accepta ſunt auribus,
ræter admodum pauca,quæ paulo intentior vox
eddidit: quibus denunciaſſe ſibi Angelum ſuum ſi-
nificabat,fore quidem vt per Purgatorij tranſiret
ncendia,ſed breui tamen ijs ignibus liberandum,&
d Paradiſi gaudia perducendum.ibi obuiam ei fu-
urum Ignatium, qui eum coram ſanctiſſima ſiſte-
et Trinitate.Hoc viſo maiore quadam lætitia,quã
t eam animus capere poſſet, elatus, exultabat in
Deum viuum,totoque corpore,quanquam infirmiſ-
ſimo,ſuper lectulum exiliebat. Atq. hæc inter gau
lia,has inter preces,crebraſq. Dei Matris appella-
iones, quaſi ſomno placidiſſimo conſopitus exceſſit
vita.Poſtero die celebri non domeſticorum modo,
erum etiam externorum conuentu, ad quos neſcio
quomodo afflarat hic rumor,curatum eſt funus.nec
atiari multitudo poterat adoleſcentis aſpectu: qui
n ipſo feretro, religioſo collocatus ornatu, vt erat
ris habitu nec gracili nec exhauſto, ſed læto ac re-
idẽti,Angeli potius cuiuſdam,quam mortui ſpeciẽ
ræſeferebat. Fertur vnus è noſtris qui decedenti
non affuit, dum id temporis pro Gulielmi ſalute
preces funderet, repente interiore quodam lumine
colluſtratus, quaſi voce quadam eſſe præmonitus,
xceſſiſſe Gulielmum: ac veluti re explorata mini-
meq. dubia, mutato precationis argumento, orare
rdenti ſtudio cæpiſſe pro eius anima, è Purgato-
rij cruciatibus liberanda,ſi ea forte regione detine-
retur: qua in precatione cum aliquantiſper hæſiſſet,

ab-

*abſterſa ſubito triſtitia illa, quam de morte conceperat, admirabilis quædam eſſe in eius animo hilaritas conſecuta, & lux oborta clariſſima, quæ perſpicue ac ſine errore doceret, Gulielmum, in ſuperas illas Beatorum regiones ex infernis illis ignibus euaſiße.*

## ALETINVM ET RELIQVA Collegia.

*ANnus hic Aletij multis morbis obnoxius, noua fuit noſtris facultas & materia pietatis. Dum autem corporum ſaluti commodisq. ſeruitur, animis quoque conſultum eſt. Ac per eam occaſionem æs ingens ad ſuos dominos redijt; flagitia multa repreſſa, inopum ſuſtentata tenuitas, & alia huiuſmodi cum laude geſta. Societati hoc anno dicatus eſt vnus: & ad reliqua ſodalitia conditum Oratorium ex opificibus ferme trecentis, vnde magna ſe ſpes vtilitatis oſtendit. Quod ad rem familiarem attinet; nobilis mulier quingentorum aureorum cenſum Collegio attribuit: aliaq. extant in nos ciuium beneuolentiæ documenta non pauca.*

*CATAZORII grauibus interdum ſimultatibus eſt occurſum. Erat inter principes duos graue certamen, vter alterum officioſa ſalutatione anteuerteret, nec ſine cura ingentiq. metu ciuitas erat, quorſum tandem eruptura res eſſet. Deo duce, tacitis controuerſiis noſtrorum collocutione ſedatis, reconciliatio gratiæ facta eſt: quod vt fieri poſſe ciui-*

as nullo modo ſuſpicabatur, ita cum accidit ingenti pprobatione ſuſpexit. Illud quoque pie religioſeq; uratum eſt, vt ædis maximæ cœmeterium, quod ma eria nulla circundabat, ad arcendas ferarum iniu- ias, murorũ præſidio cingeretur. Itaque cum ea de e à concionatore noſtro commonefactus eſt popu- us, tantus ardor animis eſt iniectus, vt lapides, ho- ieſti viri complures præeunte concionatore ipſo, à aſſibus quingentis ſuis humeris comportarent.

BARII ſodalitates Dei Matris, inſtitutæ ſunt luæ, altera diſcipulorum, ex qua ad Societatem iam ranſiit vnus, altera nobilium grauiumq. virorum: n qua ipſi quoq. Prorex & Archiepiſcopus nume antur. Sodalis vix ſeptendecim natus annos, cum à nuliere domeſtica & ſanguinis communione con- uncta, inſtigaretur ad facinus, vt ſe tanto liberaret ncendio (diu enim muliebri libidini iam reſtiterat) le noſtrorum ſententia, ſimulare cœpit ſe ad Ca- uccinos velle diſcedere. rogatus à parente, vnde am repentina voluntas, iureiurando accepto, ne quid cuiquam indicaret, omnem ei rem vti ſe habe- bat expoſuit. ea re cognita parens nihil prius habuit, quam ut à ſe amandata muliere, integritati filij pu- doriq. conſuleret. Ad hæc duo ſodalitia, ruſticorum adiunctũ eſt tertium. Hi Dominica quaq. luce, con- feſſionis & Euchariſtiæ myſteria apud nos obeunt: redeunt à prandio ad explanationem Chriſtianæ do ctrinæ: ſociorum peccata corrigunt, ad eaq. rite ex- pianda cohortantur. quibus ſane rebus menſtruo ſpa tio, ſodales amplius quinquaginta ad ſuum numerũ

aggre-

aggregarunt. Ex his unus vigeſimum circiter annũ agens, quoniam apud nos, quanta animi prouiſione fugienda eſſent peccata, didicerat, cum à femina primaria modios aliquot tritici coemiſſet, & ab ancilla, quæ ei triticum ſola ſoli dabat, procaciter pelliceretur ad ſtuprum, continuo relictis ſaccis triticoq. profugit. Noſtri dum ſuum quiſque munus ſedulus adminiſtrat, non modo à morte animos, ſed interdũ etiam corpora defenderunt. Neci duo erant addicti, parataq. iam iuga boum, unde raptarentur ad crucem: noſtri ergo conueniendis ijs, penes quos necis & uitæ ius erat, perfecere, ut tantiſper differretur ſupplicium, dum ſe damnati defenderent. Quid multa? alter repertus eſt inſons, dictaq. cauſſa ex iniquitate ſe mortis eripuit: acre iudicibus documentum, quam non in reorum capita ſit præcipitanda ſententia.

CIRINOLANVM rude eſt adhuc informeq; Collegium. dum id perficitur habitatur à paucis. res tamen ab abſolutione non abeſt. hoc anno demum incoli cœpit, cum antea noſtri in conductis ædibus habitarent. In ædificationem templi, Collegij Fundatrix cum aureos ſe trecentos daturam in annos ſingulos recepiſſet, primam ſoluit hoc anno penſionem. Sed de hac Prouincia, ſat multa. Nunc ex Italia in Luſitaniam Indiamque migremus.

PRO-

# PROVINCIA LVSITANA.

SVnt in hac Prouincia de noſtris decē amplius, & quingenti. In Olyſſiponenſi Domo quattuor & quinquaginta. In Collegio vnus & quinquaginta. In Eborenſi centum & viginti duo. In Conimbricenſi cen-um ac ſeptuaginta octo. In Portuenſi quindecim. n Bracharenſi triginta. In Brigantino viginti quin-ue. In Funchalenſi tredecim. In Angrenſi ſex. n Angolana Reſidentia ſeptem. Sex diem obierūt. ocietati annumerati ſunt quadraginta.

## DOMVS OLYSSIPONENSIS.

QVatuor hoc anno profecti ſunt in Angolam: in Indiam autem ſunt miſſi decem: ex eaque uo huc Sacerdotes, cum primis illis Iaponiæ Eccle-iæ fructibus appulere. Res externa belle procedit. Auctæ ſunt à Rege menſtruæ pecuniæ, quas eleemo-ynæ nomine tribuebat, aurei mille quotannis. toti-emq. in ædificationem templi decreti. Superiorum ero Regum, munifica aromatum largitione & pio-um liberalitate virorum, non ſolum aes alienum, uo pene oppreſſa Domus erat, magna ex parte diſ-

*ſolutum eſt, ſed etiam templi continuata conſtru-ctio. ac ſi tantum id, quod impenſum eſt in opifice ad calculos reuocetur, trium millium ſeptingento-rum ac ſexaginta aureorum ſumma reperietur. Id animarum fructus, operarum laboribus nihil impa-res. Vnus è noſtris cum quodam in templo concio-naretur, in quo, pro cuiuſdam ſodalitatis inſtituto tres orbæ puellæ in matrimonio collocandæ erant plurimæq. ſupplici libello, vt in eam ſortem admitt poſſent efflagitaſſent, Noſter ille populum pro con-cione commonuit, minime decere, vt tot indotatæ re-linquerentur, addendamq. ad eum puellarum num rum eſſe quartam. Cum peroraſſet, tantum pecunia corrogatum eſt, quantum etiam ad conficiendã qua tæ dotem ſatis ſuperq. videretur.*

*Alius cum aureos mille quingentos exigere debitore non poſſet, carceri eum & vinclis addixit ſed audita concione, non modo illum mittendum cu rauit, ſed pecunias ei creditas condonauit. Cate-chiſmus in maximo puerorum virorumq. grege, non in templis tantum ſed in vicis triuijſque traditur: quanta cum vtilitate, vel puerorum educatio teſta-tur. Ex his vnus cum audiſſet virum iam ætate pro-uectum, iuſiurandum temere vſurpantem, proper accurrit, flexisq. genibus, Per Deum, inquit, ne poſt hac iurato: nec enim iſthuc leue peccatum eſt. vir ru-bore ſuffuſus abeuntem reuocat puerum, & quod e nomen eſſet, & quibus natus parentibus ſciſcitatus cum ea puer nihil referre dixiſſet, Næ tu (inquit) minime puer es, ſed Dei Angelus, qui tam ſalutare*

dediſti

ediſti conſilium: atqui ſic habeto, me non commiſ-
urum in poſterum, vt mihi excidat iuſiurandum. E
onfeſsionibus par eſt vtilitas conſequuta. Euoca-
us eſt ad nobilem feminam ægrotantem Sacerdos,
uam callidus hoſtis in eam fraudem conabatur in-
ucere, vt quoniam commiſſum ab ea facinus ema-
arat, voluntaria nece turpitudinem vitaret infa-
iæ: eſſe enim apud inferos quoque nobilium tur-
am, eſſe Reges dynaſtasq. complures. Cumq. Pater,
onaretur illam de ea mente deducere, dæmon ab-
unte Patre, cogitationes improbiſsimas ſuggere-
at. Iam inducta erat in fraudem, iam cultrum in-
empeſta nocte quærebat, quo ſibi vitam eriperet,
um ecce tibi horribilis culter, pallido ſquallentique
anubrio iacebat humi: mulier exterrita viſo, defi-
isq. in Chriſtum oculis, cuius in eo loco propoſita
rat imago, ſi hæc (inquit) propter meum facinus
hriſte permittis, luo protinus, quod admiſi. ita cum
ſe poſtridie rite expiaturam eſſe polliceretur, ſta-
im fœda illa ſpecies euanuit. Poſtero die accito Sa-
erdote, confeſsione maculas eluit, atque ex eo tem-
ore valetudini reddita, apud nos diuina myſteria
requentat.

Publicis cuſtodijs non exiguum emolumentum
llatum eſt. nam cum aquæ laborarent inopia, qui-
am è noſtris, adiuncto comite, vrnas aquæ plenas
uis impoſitas humeris ferre cœpit, eoq. exẽplo ex-
itauit ex omni ætate & conditione complures, vt
quas in carcerem ipſi quoque conueherent: cumq.
liquando Patre duce, magnum agmen portantium

vrnas incederet, vir nobilis obuiam factus in equo
ex eoq. deſiliens ſuam quoque operam offerre cæ
pit: ſed ei Pater, Tuum erit (inquit) panes ſuppedi
tare, noſtrum aquas. quod cum libenter ille factur
ſe recepiſſet, poſtero die magnum frumenti numer
cum ære ſubmiſit. Quoniam vero pleriq. vel leui c
mine, vel quod ære alieno oppreſſi ſoluēdo non ſun
diuturno carcere fatigantur, curant noſtri collati
à nobilitate pecunijs, vt ij vel debito, vel mulcta ſo
luta è vinculis eximantur. ad eam rem Archiepiſc
pus aureos quinquagenos in menſes ſingulos don
dat, alijq. alia; quorum præſidijs captiui prope du
centi è publicis ſunt dimiſſi cuſtodijs. Nec vero i
rebus bene geſtis illud eſt poſtremum, quod cū mu
ti ex Africa Saraceni fidem profeſſuri Chriſtianam
ad nos venirent; nec tamen Chriſtianis poſſent leg
bus ſatis inſtitui: noſtri Cathecumenorum domum
quod diu ante tentarant, exſtruendam in hac vrb
curarūt. Xeriphij olim Africæ Regis filius, non pr
cul ab vrbe aberat, cum ex eius comitatu Mauri n
biles ad nos venerunt, etiam atque etiam rogante
vt Chriſtianis ſacris initiarentur. noſtri conduct
prope templum ædibus piorum liberalitate adiut
ijſq. quæ ad uſus uitæ neceſſarios pertinent, comp
ratis, Catechiſmo eos orſi ſunt erudire: dumq. in c
cura uerſantur, à Cardinali Roberto Regni moder
tore, neceſſarios ſimul impetrauere ſumptus ad u
tatam baptiſmi celebritatem. Interim actum eſt c
eo uehementer de Catechumenorum domo conde
da. Cardinalis (re cum ijs qui à conſilijs ſunt agit

ta)

i) litteras ad Regem dedit;Rex ut eſt propagandæ
eligionis ſtudioſus , poſtulationibus annuit : ſtatu-
aq. condendi ius munuſq.,delegatum eſt Domus no
træ Præpoſito:ſed quò commodius inſtituendis Ca-
echumenis opera detur,placuit prope templum no-
rum, eorum,vt dixi,ædes exſtruere. Ac præter id,
uod ad domeſticam ſupellectilem Cardinalis dedit
rgenti, in ſingula capita vnoquoque menſe octoni
irciter decreti ſunt aurei ; & in apparatum pom-
amq. baptiſmi,vnicuique triginta. Tres iam ſum-
na cum ceremonia maximoq. hominum cœtu ſuſce-
ere baptiſmum:quo peracto vecti equo cum Regni
roceribus,qui eos de ſacro fonte ſuſceperant, Car-
linalem ſalutatum iuerunt:qui non exigua eos amo
ris & beneuolentiæ ſignificatione complexus eſt.
am in pagis,vt à domeſticis abeamus,curatum eſt,
ot qui ad inimicorum cædem accenſis animis pro-
perabant, iniuriam ſuam Chriſto dimitterent. Fue-
runt in eo numero viri primarij,qui in duas diuiſi fa
ctiones,ſimultates inter ſe veteres exercebãt,qua-
rum nullus alius oſtendebatur exitus , niſi certiſſi-
mus multorum interitus: adeo inſitum atque inuſtũ
erat inimicorum animis odium. Sacerdos alter à
Brigantino Duce vocatus,quotidianis concionibus,
non leues ipſe quoque obliterauit iniurias. Vnus,cui
manus eſt in rixa præciſa, ne percuſſori parcere co-
geretur,Patris ſermonem congreſſumq. vitabat:ve
rum cum reſiſtere diuinæ voci animique permotioni
non poſſet,ad noſtros vel inuitus acceſsit : ibi coram
Dei Matris effigie inimicos amice complexus,præ

*gaudio lacrymas, & ipſis & alijs qui præſentes ade-rant, excitauit. Hic ipſe Sacerdos cum ſexta qua-que feria apud eum, quem dixi, Ducem, de aſperri-mis Chriſti cruciatibus diſputaret, ad extremum ca-peroraſſet, plurimi ſe flagris ex ipſa Ducis aula op-pidaniſq. mulctarũt: cumq. ab ea re pueri propter ætatem excluderentur, rationem inierunt eiuſmo-di, vt gregatim ſe per oppidi uicos non ſine ſanguinis effuſione diuerberarent.*

## OLYSSIPONENSE ET CONIM-bricenſe Collegia.

A*D inſtitutum Collegij opus pertexendũ, ædes nobis quaſdam & vicina prædia, quæ ſui iu-ris erant, libera Senatus reliquit; idq. publicis tabu-lis teſtatum voluit. In Gymnaſio & ad ſapientiam & ad virtutem pari curſu contenditur. E noſtris auditoribus, ſeptem ac ſexaginta in varia ſunt an-numerati cœnobia. Nec minor fructus è templo ca-pitur. Quidam cum à flagitioſa vita, ne diuinis qui-dem monitis animo frequenter illapſis, deterreri poſ-ſet; nocturno viſo perterritus, ac de cubili deiectus, ſtatuit diuinis monitis obtemperare; poſtridieq. cum Sacerdotem conueniſſet è noſtris, ſcelerum maculas confeſſione deleuit, deq. eius ſententia nouum vitæ genus inſtituit. Alius cum ſuperioris vitæ tempus ſanctiſſime traduxiſſet, ſenſim pietatis intermittens officia, pari turpitudine innocẽtiam præteritam ob-ſcurauit. ijs enim vitiorum illecebris ſe irretierat,*

vt iam familiariter malo dæmone vteretur. Demũ poſt aliquot annos hominem Diabolus pro amicitia rogat, vt ſuam ſibi vitam & corpus immolet: cum ille annuiſſet, & in ſecretiorem locum, vt laqueo vitam clauderet, ſeceſſiſſet: ecce tibi lux repente de cælo. priſtina virtus redit in memoriam, & benefacta præterita, & votiuæ peregrinationes, Dei matris & Sanctorum cauſſa ſuſceptæ. quæ dum ſecum ipſe reputat, priuſquam collum in laqueum inſerat, proximam concedit in ædem, ipſi Dei matri dicatã, quam præcipua quadam religione coluerat. ab hac alium ſubito mutatur in virum, & ad noſtros longo itinerum interuallo contendit. Vis lachrymarum & doloris plena confeſſio facile declarauit, quam præſens illi fuerit Beatiſſimæ Virginis auxilium, quæ neminem vnquam deſerit pie ac ſuppliciter implorata. E Conimbricenſi Gymnaſio, quod auditoribus conſtat mille nongentis, quinque in Societatẽ, aliiq. in alias ſe contulere familias. Ad reliqua vero huius anni benefacta vtilitatesq. perceptas, quatuor ex iis, qui perfidiæ cauſſa plectendi erant, ad ſanitatem reuocati ſunt. In pagis locisq. finitimis, vbi maximo hominum conuentu conciones habitæ ſunt, capitales interdũ repreſſæ ſunt inimicitiæ, effectumq. vt factionum Duces, vna cum ſuis conuenientes in templum, venia vltro citroq. data ac petita, in mutuam gratiã concordiamq. redierint. Alibi ad euellendam temerarii iuriſiurandi conſuetudinem, erecta ſodalitas eſt. quo præſidio procliuiſſimus quiſq. facile á iureiurando ſe continet. nec defuit puer, qui

*iurantem argueret patrem, nulla non modo cum offenſione parentis, verum etiam cum voluptate: ita vt pater pro referenda gratia noua eum veſte donarit. Pagani quidam cum à templo diſtarent; eamq. ob cauſſam ſacris plerunque carerent: egerunt noſtri de erigendo in eorum oppido templo, ad eamq. rem pacti ſunt incolæ annua pecuniarum præſidia. Hæc & his ſimilia dum geruntur à noſtris, Epiſcopus quidam, cum de vtili eorum opera induſtriaq. (in ipſius præſertim agro colendo) reſciſſet, ſummas eis, & coram & per litteras, gratias egit, eorumq. in animas curam ſtudiumq. maxime commendauit.*

## EBORENSE COLLEGIVM.

*EX Academia, quam in Eborenſi Collegio Rex Henricus exſtruxit, pares fructus laboribus reſponderunt. Ea enim eſt pietas iuuẽtutis, vt non modo Noſocomia frequenter adeat, lectos ſternat, foueat & conſoletur ægrotos: verum etiam ſublatis in humeros vrnis, aquæ ſubſidia ad carcerem deferat, ſæpe pœnas à ſeſe exigat, nec voluntariam verberum acerbitatem, aut ciliciorum horrorem reformidet. Trecenti amplius per Quadrageſimam octauo quoque die, ad publicam diuerberationem conueniebant: nec Academici modo auditoresq. Gymnaſii, ſed illuſtres quoq. viri, aliiq. qui cum explorandi cauſſa ventitaſſent, ſubito tamen aliorum imitabantur exemplum. Itaque è diſcipulis, ſeſe cœnobiis*

deuo-

leuouere complures: Societati non minus octo. Iam
ratorum animi hic quoque conciliati non pauci. In-
er duas familias in primis nobiles, tam acerba ex-
itere diſſidia, vt magnum vtrinq. metueretur exi-
ium. & quanquam perturbatiſſimus rerum ſtatus,
leſperationem pacis videbatur afferre: tantum ta-
nen Deo duce perfectum eſt, vt obliteratis penitus
offenſionibus, redintegrata ſit amicitia. Capiunt di-
uina myſteria permulti, vniſq. Domini Natalitijs
cæleſte iniere conuiuium, tria amplius hominum mil
lia. Nec vero è pagis fructus capiuntur exiles. Quo-
dam in oppido duo erant non minus ſanguinis, quàm
ſcelerum coniunctione deuincti. ſed eorum alter cũ
ſanus eſſe cæpiſſet, nec tamen auderet facinus ſuum
eius loci Sacerdotibus confiteri, ex dolore ac deſpe-
ratione necem ſibi moliebatur inedia. quam cum iã
diu tuliſſet, audiſſetque vicinum in pagum Sa-
cerdotem è Societate veniſſe, confeſtim ad eum tan-
quam ad opem ſibi diuinitus miſſam ſeſe confert,
apertaq. vulneris fæditate, & ipſe & conſors ſcele-
ris, à nefaria ſe conſuetudine ſeiunxerunt. Alibi
etiam (præcipue in Brigantini Ducis oppido, quò à
Principe Catharina vocati ſunt noſtri) magnus
extitit è concionibus ceteriſq. Societatis noſtræ mu-
neribus fructus. Sane in eo, quod dixi oppido, ea fuit
morum mutatio, ij animorum motus, vt Franciſca-
næ familiæ Patres affirmarent, ſi quotquot ad reli-
gioſam vitam admitti vellent, ijs omnibus mos gere-
retur, exuendum fuiſſe oppidum flore iuuentutis.

Iaponẽſes, quos ſupra nominaui, cũ hac iter habẽ
rent

*rẽt Olyſſipone profecti,maxima omnium ordinũ t*
*frequẽtia tum gratulatione excepti ſunt.Enituit hi*
*Archiepiſcopi comitas ac liberalitas, qui non mod*
*domi ſuæ perhonorifice veniẽtes excepit, ſed larg*
*munificoq́. viatico proſequutus eſt abeũtes.Hinc v*
*ro digreſſis,Brigantinus Dux currum ſuum ſcite &*
*eleganter ornatum,honeſtosq́. longo interuallo equ*
*tes obuiam miſit. Vbi autem eos aduentare cogno*
*uit,ipſe quoque obuiam magna nobilium cum coro*
*na proceſſit.domi vero deductos ad matrem,eorum*
*aduentum auidiſſime præſtolantem,regio apparat*
*conuiuioq́. ſuſcepit.Non hic auro argentoq́. inſtru*
*ctos abacos,non pretioſis periſtromatis ornata cu*
*bicula,non pulcherrime ſtratos lectos,non ceteram*
*Ducis elegantiam ſplendoremq́ue commemorabo*
*quæ eximium eius in regios adoleſcentes animum*
*declararunt. Dux item in vaſtam eos & pe*
*amænam ſyluam,vna cum fratribus equitibuſq́. tr*
*centis venatum duxit, abeunteſq́. item multo aur*
*argentoq́. donauit.*

## PORTVENSE ET BRA charenſe.

*CAtechiſmus in Portuenſi Collegio maxim*
*ætatum omnium frequentia, pueris explana*
*tur. Epiſcopo interdum ac Senatoribus Regijs Præ*
*ſideq́. præſentibus. Inter pueros,qui Chriſtianæ le*
*gis ſcientia cæteris palmam præripit,is publicis de*
*coratur honoribus. nec deeſt honeſtorum virorum*
*beni-*

benificentia, in ſuppeditandis ad hæc dona pecunijs.
Interdum etiam pueri, vecti ſcaphis in oppidum è regione poſitum traducuntur, hymnos medio amne vt à noſtris docti fuerint, concinentes, non ſine incolarum tum admiratione tum gaudio. Confeſſiones ſunt omnino multæ, non modo ciuium ac domeſticorum, ſed etiam aduenarum, è locis valde diſiunctis. Quidam cum ſe nefario quodam ſcelere aſtrinxiſſet, vt id tegeret ac ſupprimeret, multas alias turpitudines maculaſq. ſuſcepit: cumq. eò hominem ſua ſcelera prouexiſſent, vt ſibi ipſe moliretur exitium, templum noſtrum ingreditur, primoq. introitu diuinitus immutatus, vitam expiare totam ſine mora conſtituit. ea res & vitæ fuit honeſtioris initium & turbulenti animi medicina. Vni dum ſe malus dæmon in lucis angelum transfigurat, & modo huius, modo illius ſe Beati ſpecie conſpiciendum obijcit, ſenſim eas illi ſtruxit inſidias, vt ad amentiam prope redegerit. ſed cum per ſacram confeſſionem Deũ ſibi reconciliaſſet, diuinam lucem aſpexit, & ad ſaniorem mentem reductus, factus eſt in poſterum cautior.

E BRACHARENSI Collegio in domeſticã diſciplinam adſciti ſunt tres. & ad incitandũ pietatis ardorem, in honorẽ Dei matris eſt erecta ſodalitas, a iam lectiſſimis conſtat adoleſcentibus, eorumque exemplo non pauci de primarijs, vt in eundem numerum adlegantur, efflagitant. In vicinis pagis tum inter coniuges, tum inter alios grauiſſime diſſidentes, conſtituta pax eſt. Clericus mortifera accepta

plaga,

plaga, cum eſſet Sacerdoti noſtro peccata confeſſus, publicis teſtatus eſt tabulis, veniam ſe percuſſori tribuere. Magiſtratus autem domeſticoſq. rogauit, ne hominem homicidij reum agerent: quem ipſe, ſi adeſſet, antiquiſſimum vt amicum amplecteretur. Occurſum eſt etiam militaribus iris atq. flagitijs. plerique cum mulieribus implicati, vt ab earum conſuetudine ſe diuellerent, interpoſita auctoritate Præfecti, curatum eſt. Inter præſidiarios autem milites & oppidanos, cum ſepe rixæ ac contentiones, (nocturnæ præſertim) excitarentur, ex yſq. alij male mulctati, alij vulnerati diſcederent, quidam etiam exanimes auferrentur; Tribunus militaris, vt tam fœdæ rei medicinam adhiberet, de Patris noſtri ſententia, graui cauit edicto, ne quis miles poſt prima lumina domo pedem efferret. ita ingens malorum eſt ſubtracta materia. In obeunda cum Archiepiſcopo Diœceſi, plurimi ſunt ab erroribus liberati, ſinceraq. imbuti religione. Arma etiam ab ijs qui mutuas gerebant inimicitias adempta. Inter quos vnus, ab inimico medio foro pulſatus, percuſſorem poſtulat de iniuria: mulctatur exilio reus, relictis in maxima inopia coniuge tribusq. liberis, & quod grauiſſimum eſt, relicto etiam diſſenſionum in poſterum ſeminario. Sacerdos noſter vt vna opera tot incommodis obuiam iret, ita, Deo duce, rem omnem adminiſtrauit, vt & reo daretur impunitas, & qui læſus eſſet obliuiſceretur iniuriæ.

# BRIGANTINVM ET Funchalenſe.

*BRigantino Collegio quotidianum eſt, vt contentiones & diſcordias, quæ hic frequenter exoriuntur, extinguat. Filius parenti litem intenderat non ſine graui ciuitatis offenſione. cumq. ſecundum Patrem iudicatum eſſet, ad Regiam Curiam appellauit, pecuniamq. ſepoſuit, vt cauſam vel largitionibus obtineret. poſtea à Sacerdote noſtro commonitus, miſertus eſt patris, ſuo iure ceſſit, & quicquid ei erat, patris permiſit arbitrio. Alius cum filia & genero ſimultates gerebat antiquas. appropinquante morte, en tibi filia confeſtim ad patrem, vt extremum ſpiritum morientis exciperet. Sed eam ne tum quidem pater admiſit, imo peſſimo exemplo & ſumma cum offenſione ciuitatis abegit. noſtri hominem & anima & corpore ægrum, cum inuiſiſſent, docuiſſentq. quantam in excludenda filia ſuo nomini notam inureret, vicerunt tandẽ, vt filiam reuocaret, in gratiamq. reciperet. Inter duos nobiles Magiſtratus, grauis erat coorta diſsenſio: ſed eius fama cum ad aures Catharinæ Principis perueniſſet, Rectori Collegij confeſtim mandat, vt in Collegium euocatos ad concordiam pacemq. reducat: quod cum ab eo factum eſſet, publica lætitia conſequuta eſt. erat enim periculum, ne cum vterque publicum munus adminiſtraret, in duas factiones diſtracta ciuitas, graue caperet detrimentum. Adoleſcens cum puellæ cuiuſdam nuptias quibus ſe obligauerat repudiaret,*

*puellæ*

*puellæ patruus longo itineris interuallo Brigantiam venit, vt adoleſcentem niſi officio ſatisfeciſſet, occideret. ea res (quoniam ex amplis erat vterque familijs) cædes minitabatur acerbas, ſed noſtrorum arbitrio ac diſceptatione compoſita, exitus habuit opinione feliciores.*

*FVNCHALENSI Collegio, quo laxior ſit habitatio, proximæ quædam adiunctæ ſunt ædes. Habentur autem in hac vrbe magnis cum animorũ commodis conciones. Quidam coram Beatiſſimæ Virginis ſimulacro, aſſidue graue facinus deplorabat, ratus eam confeſſionem ad expiandum facinus eſſe ſatis. non paſſa eſt miſericordiæ mater, tanto eum in errore verſari, mentem illi iniecit eiuſmodi, vt concionatorem noſtrum audiret, quo audito nihil habuit prius, quam vt Sacramento confeſſionis ſuum deleret erratum. Actum eſt etiam cum Magiſtratibus, de veneficorum coercẽda licentia, quæ eo progreſſa iam erat, vt ad imam aram, in qua corpus Chriſti reponitur, veneficia teterrima ſint reperta. Duo autem, qui ad obeundum facinus, bullas quaſdam artificijs veneficorũ plenas, velut ſacras quaſdam reliquias de ceruice geſtabant, admoniti ea protinus abiecerunt.*

## COLLEGIVM ANGRENSE.

*ANgræ duo de noſtris, fine bellis impoſito, remanſerunt: ij, cum propter aſsiduas calamitates & direptiones attritæ res eſſent, miſerorum*

*ino-*

nopiæ, quorum ingens fuit numerus, ſubuenerunt: idemq. à Magiſtratibus impetrarunt, vt qui vinculis tenebantur, aut illico ſoluerentur, aut in laxioribus haberentur. Eadem opera captiui vel pretio redempti, vel miſsi gratuitò. Reis etiam non nunquam vita atque impunitas data. Quæ quidem noſtrorum officia tanto admirabiliora vulgo ſunt viſa, quanto illi pluribus antea conuicijs & maledictis exagitati ſunt: vt merito aliqui dubitare ſe dicerent, præstaretne noſtros beneficijs, quàm contumelijs afficere: quando non minoribus officijs improbos ac maleficos, quàm probos ac beneficos proſequerentur. Non ita multo poſt, cum quatuor è Societate ad portum appuliſſent: ciues, tum ij, quorum erga nos beneuolentia turbidis in rebus perſpecta iam erat, tum ij, qui nobis videbantur aduerſi, ſummam ex aduentu noſtro lætitiam præſe tulerunt: illi, quod noſtri, qui non ſine illorum lacrymis ac mærore diſceßerant, omnium votis expetiti redirent; hi vt præterita maleficia officijs præſentibus reſarcirent. Itaque in noſtrorum reditu; portus, muri, propugnacula, viæ denique totæ gratulantium & occurrentium multitudine complebantur. Senatores præcipui noſtros è naui receptos in ſcapham, ad portum perhonorifice deduxerunt. Præſidij quoque Præfectus, Tribuniq. militares cum primarijs ciuibus, præſto fuerunt ad littus, vt cum honore exciperent exeuntes. Inde ad Collegium inter omnium gratulationes, denſiſſimo & lætiſſimo occurrentium agmine proceſſerunt. Atque in hunc modum noſtrorum celebratus eſt reditus

ditus

*ditus. Noſtri autem, quantum in ſe fuit elaborarūt vt tantæ hominum beneuolentiæ expectationiq. reſponderent. Itaque & in templo maximo & in alijs ſacris ædibus conciones inſtituerunt, tanto animorum motu, vt interdum è populo effuſa comploratio & eiulatus erumperent. Quibus aliquando clamoribus, præſidiarij milites excitati, veriti ne qua templi ruina multitudinem oppreſſiſſet, ad ferendam opem protinus accurrerunt. Seditiones porro aliquot militares compreſſæ ſunt, ducumq. ac primariorum iræ placatæ. Et quoniam in hac inſula cohortes aliquot militares præſidij cauſſa relictæ ſunt, datur opera Duce ipſo iuuante, qui nobis eſt in intimis, vt in officio contineantur, nec ſolum à maleficijs & rapinis temperent, ſed etiam dominica quaque luce cohortationibus pomeridianis interſint, quibus pijs de diuinis rebus colloquijs ad pietatem ſic inflammātur, vt & diuina myſteria frequenter vſurpent, & peculiari quodam ſtudio erga Dei matrem afficiantur. Quidam abiecto religionis ornatu ſumpſerat militarem: alij vota, quibus ſe obligauerant non ſoluebant, alij flagitijs tenebantur impliciti, alij denique alijs vitiorum morbis agitabantur. quibus cum actum eſt vt & ſuo quiſque voto officioq. faceret ſatis, & abigendis amandandiſq. mulierculis, flagitiorum præcideretur occaſio. Inſtitutum & hic eſt B. Virginis ſodalitium, cui dedere nomina è nobilitate complures. Huius ſodalitij ea mēs eſt, ea ratio, vt miſerorū ſubleuet egeſtates, vt ueſte, frumēto, pecuniaq. iuuet, vt ægros foueat, eiſq. medicis pharmacisq. ſubueniat.*

AN-

# ANGOLANA SEDES.

*IN Angola multis etiam de principibus, chriſtianæ fidei ſplendor illuxit. ſed quamuis multi ex ijs ad baptiſmum parati videantur, ne doctorum pe uria ad patrios ritus ac turpitudines reuoluantur, n alíud tempus eorũ baptiſma reijcitur. Nã tres, qui in ea prouincia de Societate verſantur, vix Luitanis, ne dum Aethiopibus adeſſe poſſunt. mille tanen abluti ſunt, quibus ipſa loci vicinitas eſt adiunento. Inter eos nobiliſſimus Angolæ Princeps, cuus in ditione Prætoris Luſitani ſunt caſtra. Is chriſtianæ religionis inſtituta iam nouerat, & cuncta nemoriter hauſerat, cum oppreſſus repente morbo n vltimum pũtabatur veniſſe diſcrimen. Mittunt d eum Sacerdos noſter ac Prætor, qui quæreret, vellet ne priuſquam vita excederet, chriſtiana ſacra uſcipere. Ea res tantum attulit ægro lætitiæ, vt è norbo ſubito recreatus nuntio dederit euangelia. Poſtea ſuis euerſis & cõminutis Idolis ſeſe ad Chriſti cultum vna cum amicis, liberis, coniugibuſq. conertit: vxorumq. multitudine repudiata, quas pariæ ſuperſtitionis licentia concedebat, vnam dunaxat è chriſtianæ legis ſanctitate retinuit. Incidit aptiſmi celebritas, in diem ipſum Dei Matris Naalem. aderat Catechumenorum candidus ordo, ſeico indutus ornatu, manibuſq. præferens palmas. aq. pompa proceſſit ad fontem. Cumulauit rei gau ium Luſitanorum aduentus, tertium iam menſem*

bellica in expeditione verſantium, hoc etiam magis quod Dei Matris effigiem non ſine miraculo rec ptam ab hoſte referebant. Voluit hanc Prætor ima ginem, quo Neophytis ethnicisq. planum fieret quanta cum veneratione colenda ſit Dei Mater, e fuſa obuiam multitudine, ingenti gratulatione exc pi, apparatuq. quàm maximo. Quibus peractis pla cuit etiam Prætori Luſitanisq., eius diei lætitian qui tam multis natalis eßet, noua cum prole, qua de fonte ſuſceperant, feſtis apud nos epulis celebr ri. Vt huius baptiſmi fama percrebuit, ceteri p quodam ſtudio æmulationis incenſi, multa cum P tribus queſti ſunt. quod ipſi quoq. ſua baptiſma tam diuturnis expetita votis non impetraſſent. N ſtri vt eorum quoq. ſtudijs obſequerentur, in eoru pagos ſacerdote dimiſſo, voluerunt omnia prius Id lorum ſigna cremari, incolasq. chiſtianis legib erudiri, quam eorum quiſquam Eccleſiæ limen a tingeret. Sequitur res admirationis & lætitiæ pl na, digna, quæ non modo noſtris, ſed omnium litter monumentiſq. mandetur. Prætor cum Mocumb vbi alterum iam annum habebat caſtra, mouiſſet; in Cambabam, quæ regio eſt argenti fodinis nobili perueniſſet, locum cepit muniendis caſtris id neum. ea re cognita Rex Angolanus, vt Luſitan inuaderet, ingentem conflauit exercitum. cen ab eo dicuntur capita duodecies centena millia cuius rei fama exterritus atq. exanimatus Aethiop Luſitanorum paucitate deſpecta, ad inimicoru caſtra transfugit. Nemo auxilij cauſſa Prætori ad

rat,

*it, vno excepto Paulo clariſſimo Angolæ Prin-
pe, qui non ita multo ante ſe ad chriſtianos adiun-
erat. Sed diuina bonitas (quemadmodum deſpe-
ıtis ſolet in rebus) ſui numinis præſentiam decla-
ıuit: ac die illo qui ſuæ Matris Purificationi
ıcer eſt, tantæ nimirum meritis Virginis, longe ali-
er vertit omnia. Nam, quod pene fidem excedit,
entum & quinquaginta Luſitani, paucíq. Aethio-
es, quos Paulus in prima acie ducebat, innume-
abilem illam, quam dixi, multitudinem profliga-
unt; nec in tanta hoſtium ſtrage è Luſitanis deſi-
erati plus ſeptem; quos ipſos cecidiße tum con-
at, cum Sacerdos noſter à placando diuino nu-
ine conquieuit. Nam cum ille ſe primo certami-
e, vt pro victoria Deo immortali ſupplicaret, in
iterius cubiculum abdidiſſet, dum aſſiduæ preca-
oni dat operam, certa victoriæ inclinatio ad Lu-
tanos fiebat, ſine noſtrorum ſanguine, ſine cæde.
t à prece diſceſſit ratus finem eſſe certaminis, ſu-
ito conuerſis ſignis in Luſitanum hoſtis incurrit,
x ijſque ſeptem, vt diximus, interemit. Pater ad
Deum, vnde abierat, ſine cunctatione reuertit, nec
rius ipſe finem precibus, quam pugnæ miles im-
oſuit; vt planum omnibus fieret, non humanis,
ed diuinis opibus partam eſſe victoriam. id quod
ſi quoque teſtabantur hoſtes. aiebant enim de cæ-
ſecum fuiſſe pugnatum, maioremque ſibi vim
 ipſo aere, quàm ferro à Luſitanis illatam. Tan-
us autem pauor ac trepidatio hoſtiles animos oc-
ıpauit, vt præcipitem in fugam auerſi, profun-*

*damque lapſi voraginem, eam ipſam ſola co*
*porum ſtrage complerint, & velut æquato i*
*nere per ſtrata cadauera, hærentibus à tergo Lu*
*tanis, tranſitus præberetur. Videbitur fortaſſe re*
*ſi humanis viribus æſtimetur, omni fide ſuperior: ſ*
*ſi in diuinam poteſtatem referas, memineriſq. qua*
*ta barbarorum examina perexiguis olim cop*
*Iſraelitæ fugarint, nulla erit cauſsa, cur hæc affic*
*videri debeant. Ergo tam illuſtris beneficij mem*
*riam, vt Luſitani grata animi ſignificatione recol*
*rent, ſupplicationem publice decreuerunt. Sed h*
*tam admirabile prodigium, alia non minus adm*
*randa ſubſecuta res eſt. Luſitani nouem, à Caſtr*
*longe diſiuncti ſub occaſum ſolis ſe vidiſſe perh*
*bent, ingentem Crucem admirabili ſplendore ac p*
*chritudine Angolæ verticibus imminentem. Id i*
*ſum eodem modo eodemq. tempore alij longe po*
*ti conſpexerunt. eaq. de cauſſa Luſitani Crucis m*
*nimentum quam ampliſſimum faciendum loca*
*dumq. curarunt, quod extet ad memoriam poſter*
*tatis ſempiternam. Verum quod allicere ad red*
*tum Aethiopes debuit, magis à Luſitano deterrui*
*Nam qui, iniecta periculoſi belli formidine, ad pot*
*tiorem hoſtem deſciuerant, poſtea cum præter ſ*
*ad Luſitanos victoria recidiſſet, perfidiæ ſupplic*
*veriti, eſſe cum victis, quàm cum victoribus malu*
*runt. Quo circa faciendum Prætori fuit, vt in locu*
*natura munitum geminoq. amne circundatum ſ*
*reciperet, dum è Luſitania ſupplementum, quo ex*
*trema belli conficeret, euocaret. Sed eum barba*

colle-

llectis viribus vndique circunfuſi, iam dudum ob-
ſent. ac ne Luſitanis vltro citroq. commeandi po-
ſtas ſit, omnes vſque in Oloandam Inſulam, quæ
uſitanarum nauium eſt ſtatio, viarum aditus in-
rcludunt. E noſtris Sacerdos vnus Luſitanis ad-
, qui eorum animas curet, & ad pietatem incen-
t. Alter in Oloanda cum comite laico degit: cu-
s eadem pietatis officia cum in Luſitanos milites
tant, tum in mercatores & nautas, qui è Luſita-
a Braſiliaq. confluxerint. Sæpe is in Angolæ Con
q. prouincias excurrit, ibiq. plurima demolitur
ola, quotidieq. multos ad Chriſtum per baptiſmũ
iungit. Sed quoniam tam multis vnus ſatis eſſe
n poteſt, ſolos infantes, & qui Chriſtianæ legis
mmam teneant, ad ſacrum fontem admittit. Adijt
iam negotij cauſſa ad inſulam, quam appellant
poſtoli Thomæ: atq. inter nauigandum, ecce tibi
uiam Luſitana claſſis Olyſſipone profecta, qua
atuor vehebantur è noſtris. Quod ſi claſſis (vt
eratur) aduentu, Angolana prouincia ſubigatur,
agnus in ea campus noſtrorum aperietur indu-
riæ. Tota Angola regnaq. finitima ab hac vna vi-
oria pendent. quam ſi Deus dederit, vt ſpes eſt,
nimo iam nunc cernimus, quanta animarum futu-
ſit ſeges. Interim excolendis barbarorum mo-
bus opera datur: nec ea quidem inutilis: qui enim
ligionem ſunt profeſſi Chriſtianã, ij priſtinis exu-
moribus ita viuunt, vt in ſui admirationem Luſi-
norum mentes oculoſq. conuertant. Ex ijs com-
ures matrimonio rite coniuncti (id quod in ho-

*minibus natura barbaris eſt mirandum) expia confeſſione peccatis, non ſemel è Sacerdotis noſtri manu, veneranda Euchariſtiæ myſteria ſuſceperunt.*

PRO-

# PROVINCIA INDIAE ORIENTALIS.

*TRecenti & quinquaginta de noſtris in ſedes plurimas diſpertiti, Indicum hoc exercuere nouale. Non equidem faciam, vt ſedes numerē vniuerſas, ne nimis enucleata enumeratio moleſta ſit. Sunt præcipuæ triginta amplius. profeſſorum & nouitiorum Goanæ domus, Goanū Collegium & Cochinenſe, Bazainenſe, Salſetanum & Malacenſe. In Iaponia vero Funaienſe, & probationis domus Vſuquienſis. Vndecim præterea ſedes Indicæ è potioribus, quas nihil attinet recenſere. Accedunt Seminaria puerorum in India quatuor, Goanum & Salſetanum, Bazainenſe & Coulanenſe: Iaponica duo, Arimenſe & Anzichumenſe. His tum Funaienſe, quod Gregorij xiij. liberalitate condi iam cœpit, adiungitur; tum alterū in nouo illo Chriſtianorū oppido, quod à B. Thoma nomen habet, Philippi Regis iuſſu ſumptuq. inſtituendum. conſtat id non tam externorum adoleſcentium numero, quam noſtrorum. Noſtri enim etſi in Vaipicota ſuperioribus annis ſedem habebant, excurrebantq. nonnunquam pro rei neceſſitate varias in vrbes ac regiones: tamen & neceſſario vitæ cultu carebant, & ſpe præcipui fructus, qui ex inſtituenda*

*Chriſtianis legibus iuuentute percipitur. nunc noui inſtitutione Collegij, vtriq; incommodo obuiam itur. In his omnibus, quos dixi, locis eò potiſſimum noſtrorum vigiliæ referuntur, vt & nouellas Chriſti plantas ſalutaris doctrinæ imbribus irrigent, & eorum tenebras, qui verum Deum adhuc ignorant, Euangelij luce diſcutiant. Ad ſacrum fontem numerata ſunt hoc anno, ſi Iaponiorum baptiſmos eximas, hominum fere tria millia, & quingenti. E ſex nauibus, quæ Olyſsipone ſoluerunt, vbi decem vehebantur è noſtris, portum Goenſem diuino beneficio duæ, Cochinenſem tres incolumes tenuerunt: ſexta Malacam nauigans appulit Moxambiqui: crediturque ipſa quoque in optatum Malacæ portum inuecta. Hæc de vniuerſa Prouincia. quæ fratribus eſt aucta tribus atq; triginta: quatuor autem obitu diminuta. Nunc ſingillatim de præcipuis ſedibus collegijsq. dicamus.*

## PROFESSORVM AC NOVITIOrum Goanæ domus.

*QVod diu iam optabatur in hac Prouincia, vt in ipſis Collegij ſedibus, R. Patre Generali approbante Profeſſorum Domus ſtatueretur, hoc anno demum perfectum eſt. Nam cum intra ampliſsimos Collegij fines, & maieſtate operis & populi frequentia vnum omnium celeberrimum templum ſit, viſum eſt, ne cum offenſione aliqua ciuium, qui proxime ſibi ædes extruxerãt, deſeri videretur, Profeſ-*

orum Domum intra hæc ipſa ſpatia cancelloſq. con-ludere: ita tamen vt non modo ſit ab ipſo Collegio c diſcipulorum habitatione, verum etiam à Noui-iorum Domo ſeiuncta. Acta res eſt duodecimo Kal. Octob. quem diem frequens populi conuentus in templo noſtro, omneſq. Magiſtratuum ordines celebrarunt. Habita eſt ab Archiepiſcopo Goano de hac edium partitione, deq. Societatis inſtituto ac graduũ varietate præclara concio: multitudini autem, cui res noſtræ non ſatis cognitæ perſpectæq. ſunt, opportuna. Vt autem ad expiationem peccatorum homines facilius allicerentur, reliquit in mandatis Pater Prouincialis, vt perpetuo Sacerdotes aliqui pœnitentium cauſſa verſentur in templo: ac quamdiu nullus apparet, in ſua quiſque ſede aut fundendis Deo precibus, aut lectitandis de pietate libellis ſeſe diſtineat. Quã rem ciuitas vt valde ſuſpexit, ita minime dubitat, quin vberes paritura ſit fructus. Degunt autem in hac Domo Patres fratreſq. circiter quadraginta, quorum vnus & viginti ſunt Sacerdotes, atq; ijs omnibus, quod ad victum cultumq. pertinet, ciuiũ benignitas ſatis large ſuppeditat. Vix erant de nouis ædibus agitata conſilia, cum lychnum penſilem ex argento, qui ad Dei Matris aram iugiter ardeat, Matrona donauit. ſteterat ei aureis amplius quingentis, oleiq. ad vſus luminum, quod ſatis eſſet, adiunxit. In Nouitiorum domo, tertius tirocinij inſtitutus eſt annus ex ijs, qui poſt diuturnam litterarum occupationem, ad Nouitiorum diſciplinam ſeſe iterum cudant: eoq. euocati ſunt aliquot litterarijs

iam

iam functi curis. Numerat Domus hæc Nouitios omnino ſex & quadraginta, quorum virtutis pietatiſq. ſtudium vel id vnum ſatis declarat, quod cum huc è Luſitania naues ægris refertæ corporibus appuliſſent; noſtri ſuo præeunte Magiſtro prodierũt in portum, ægrosq. fere trecentos, in Noſocomium ſuis exceptos vlnis humeriſque portarunt: ibi eos aquis primo tepentibus odorumq. ſuauitate reſperſis, ſtudioſe fouerũt, deinde ad dies aliquot opportunis obſequijs officijſq. iuuerunt. Qua re permoti complures ad Societatem animum adiecerunt, ex ijsq. partim admiſsi, partim in aliud tempus reſeruati: quorum aliqui in eo vitæ genere deligendo, præſens ſenſere cæleſte numen. Miles cum diu vocanti Deo pertinaci mente reſiſteret, ob eamq. cauſſam magnis conſcientiæ ſtimulis agitaretur, ſtratus ante venerandam Dei Matris imaginem, externa quadam circunfuſus luce, quam ſimul aſpexere complures, vſque eo animatus eſt ad parendum, vt ſtatim abiecto peccatorum onere per confeſsionem, illuſtriorem diuinæ voluntatis ſignificationem non expectarit: teſtis inſuper factus, quãtis è tenebris ſeſe expediat, quiſquis ad candidiſsimam Deiparæ lucem propius acceßerit. Alius item miles cum Societatis ſtudio flagraret, nec tamen per ducem ſuum liceret eſſe compotem voti, de naui furtiuæ natationi ſe dedit, ad vnumq. peruenit e noſtris, quo duce e turbulentis huius vitæ fluctibus, in tutiſſimum Religionis portum ſe recepit.

COL.

## COLLEGIVM GOANVM.

ALuit Goanum Collegium toto ferme anno fratres centum ac viginti: at poſt ſeparationem illam Profeſſorum à reliquis, ſexaginta. Kal. Ian. qui dies Auguſtiſſimo IESV nomini ſacer eſt, Archiepiſcopus e familia B. Dominici, ut quo loco apud ſe ſit Societas, declararet; primam concionem ſuam, poſthabito ſuæ familiæ templo quamuis amplo, quamuis egregio, in æde noſtra habere voluit: eaq́. pro concione de noſtrorum in curandis animis ſedulitate dixit, vt onus potius quoddam nobis putemus impoſitum, quemadmodum tāti Præſulis exiſtimationi reſpondeamus: quam vt earum laudum partem in nobis aliquam agnoſcamus. Et quoniam cibum etiam capere nobiſcum voluit, non defuit inter epulas linguarum ſplendor, ſi non is, quem in Romano Collegio ſaepe vidimus, certe is, qui ad eum proxime accederet. E ſedecim linguis omnis erat conflata varietas. Nam Canarina, Tamulana, Maleama, Malaia, Perſica, & id genus aliæ nobis fuere pro ijs, quas Romano Collegio varia & multiplex Europa ſuppeditat. Probata res eſt vehementer optimo Antiſtiti: placuitque ſecundum epulas vniuerſam luſtrare domum, ſacellumq́ue illud, vbi caſtiſſimum Xauerij corpus vna cum alijs multis Beatorum oſſibus ac cineribus aſſeruatur. nec vero prius à nobis abijt, quam diem totum nobiſcum obduxit. Baptiſmata ſumma cum cære-

monia

monia apparatuq. magnifico celebrata ſunt bis: ſemel hominum nongentorum, in quibus Brachmanes multi dignitate ac nobilitate præſtantes: iterum trecentorum amplius ac triginta: Archiepiſcopo ac Prorege præſentibus, qui & eos de ſacro fonte ſuſceperunt. Præter hos quotidie aliqui, vt ſuadet neceſſitas, baptizantur. Ethnica mulier filium ſuũ, quod in horam minus felicem incidiſſe partum augurabatur, ſtulte abiecit ex ædibus. Chriſtiana mulier puerum inuentum ad nos attulit baptizandũ: quem vt ſalutaris aqua tetigit, quaſi tempeſtiua mors eßet, & matura cœlo pueri anima, protinus expirauit. Eadem ſors obtigit Ethnicæ feminæ, quæ annum iam quadrageſimum Luſitano domino ancillata, dùm cuiuſdam celebritati baptiſmatis intereſt, mentem ſubito de Chriſtiana religione ſuſcepit: luſtrataq. baptiſmo, poſtridie mortalem hanc vitam cum æterna illa commutauit. Catechumenis ſeparatæ delatæ ſunt ædes ab homine religioſo, nullo precio, nulla mercede, & quod opportuniſſimum eſt, noſtris tectis auxilijsq. propinquæ. Hic quoque reconciliatæ ſunt diſcordes hominum voluntates, deterritiq. diuinitus, qui noſtrorũ monita precesq. contempſerant. Sacerdos noſter, cum propinquos hoſtili inter ſe animo confligentes placare non poſſet, diuina eis ira denunciata, diſceſſit. tertio die ex ijs vnus infeſto acerboq. caſu, pertinaciæ ſuæ merito pœnas dedit. alter contumelioſa ab inimicis accepta plaga, naui etiam opulenta ſpoliatus à Turcis eſt. His commonefacti verberibus agnouerunt erratum, Sacer-

do-

*dotemq. noſtrum, qui ſibi diuinas iras denunciauerat, vna conueniunt, animiſq. concordibus ſua demũ omnia eius arbitrio ac diſceptationi permittunt. Iã ſtudia alienæ ſalutis honoriſq. diuini, interdum etiã nonnulla vitæ commoda comitantur. Vir non minus nobilitate, quam diuitiarum copia florens, appropinquante morte, quoniam multæ dubitationes angebant animum, Sacerdotem noſtrum, qui ſibi eos ſcrupulos eximeret, aduocauit. Docuit Pater ſua cuiq. reddenda eſſe, ſi & viuere pacate vellet, & tuto mori. perſuadere officium morituro non fuit difficile, hominemq. eo deduxit, vt pardaos mille triginta (is eſt aureus fere nummus) deponeret apud aliquem, vnde nomina omnia diſſolueret, expiatiſq. rite peccatis, multa legauit pios in vſus: nec ſua nos voluit liberalitate carere, quibus aureos fere mille in Profeſſorum Domum nondum erectam impendit. Diſceſſurus Prorex in Luſitaniam, cum hoc Collegium perhumaniter inuiſiſſet, certiorq. factus eſſet de inopia ac tenuitate noſtra, non modo præſenti nobis ſubuenit argento, ſed etiam ſuo diplomate iuſſit mille & octingentos pardaos, quorum iam deſperabatur recuperatio (ij enim debebantur à Rege) ſine mora diſſolui: & quoniam ſuis ipſe oculis, quanta in egeſtate noſtræ res eſſent, aſpexerat, ſpopondit cauſam ſe noſtram apud Hiſpaniarum Regem ſedulo ac diligenter acturum. Hæc in vrbe. Ex vrbe vero in caſtellum quoddam Luſitanorum, cui Barcalor nomen eſt, exijt Archiepiſcopi rogatu, cum miniſtro Sacerdos: nullus enim ibi Sacerdos, nullus qui vel ſa-*

cramentis homines expiaret, vel moribundis adeſſet. ergo à noſtris nullum officij genus, ſiue quod pij religioſiq. viri, ſiue quod boni Sacerdotis eſſet prætermiſſum eſt. Vnum miſſum non faciam, tantam in eis hominibus repertam eſſe fiduciam atque pietatem, vt quidam piacularibus donati granis, hoſtili poſtea petiti ferro, integri inuiolatiq. reperti ſint. vulnerare ſiquidem veſtem ferrum potuit, carnes omnino non potuit.

## COLLEGIVM SALSETANVM.

ABeſt Salſetanum Collegium à Goano nouem circiter paſſuum millia, vndecim in eo fratres adiungendis ad Chriſtum Ethnicis inſtituendisque neophytis occupantur. Ii ſedibus diſtincti quinque alias quoque colunt Eccleſias; numerantur enim varijs locis Chriſtianorum fere quindecim millia, quotidieq. nouæ fiunt acceſſiones, vt iam oculis pene cernatur, quantum apud Deũ ponderis habeat, profuſus ille noſtrorum ſanguis, quorum honeſti glorioſiq. triumphi proximis commendati ſunt litteris. Ab eorum quippe cæde, acceſſerunt ad Chriſtum mille inſuper & quingenti, vt iam prope confecta cuiuſdam ex ijs vaticinatio videatur: qui tum demũ propagandam Chriſti ſobolem vaticinatus eſt, cũ quaſi fundamenta primæ religionis, ſui ſanguinis effuſione iecissent. Prorex, vt eſt Societatis amantiſſimus, ſed multo magis æquitatis & iuris, occiſorum vltionem non diu diſtulit. exædificauit ſibi inter barbaros

baros propugnaculum, idque præſidijs copijsque
efferſit. Tum, eorum regione ferro flammiſque
aſtata, tutum peregrinantibus iter præbuit.
Dux vero Luſitanus parricidarum inſolentiam ita
epreſsit, vt præcipuis factionis ducibus interfectis,
eliquos coegerit pacem ſuppliciter implorare. quã
amen impetrare non potuerunt. Noſtris vero hæc
na ſatis eſt vltio, vt quamplurimos ad æternam ſa-
utem alliciant: & à quibus morte affecti ſunt ſui fra
res, eis ad immortalitatem iter oſtendant. Aegro-
abat non ſine magno diſcrimine neophytus quidam,
d quem vbi Sacerdos noſter acceſsit, deq. expiando
nimo verba fecit, hominem ſui iuris ſententiæque
alde pertinacem offendit: negabat infelix & cæci-
ate mentis ictus, vllis ſe aſtringi peccatis: & tamen
abebatur vulgo veneficus dæmoniq; deuotus: nec
aro cum eo conſilia ſermonesq. miſcuerat. Sed quo-
iam vt quiſque peſsimus eſt, ita minime ſeipſum di
picit, ſibi innocens videbatur, ſudandumq. vehemen
er fuit, vt de ſententia decederet. Biduo poſt rediit
Pater ad ægrum, non abijciendum ratus, à quo erat
ante repulſus, vicitq. conſtans charitas ſpiritus per-
inaces. hominem è ſuperiore cohortatione reperit
immutatum, confitentemq. peccata non minore ſua
cum voluptate, quam cum dolore pœnitentis exce-
pit. Ea enim uis fuit contritionis, vt idolum proferri
iuſſerit, priſtinoſq. ſit conatus honores præſentibus
ignominijs ſputorumq. ludibrijs obliterare: poſtea
petita tum à Deo demiſſe, tum á conſcijs tanti faci-
noris venia, biduo poſt deceſsit è vita. Habet inter-
dum

*dum non mediocrem vim ad euellendas idolorum ſu-
perſtitiones excitandamq. Chriſti fidem morborum
repentina curatio. In oppido quodam, quoniam com-
munis quidam morbus multa ſubito proſtrauit ar-
menta, Chriſtianus cui multum pecoris erat, templ
ingreſſus, oleũ hauſit e lychno, qui ante aras pendet
vt medicinam pecori faceret. Ea uis fuit hominis i
Deum fiduciæ, vt de ſuis gregibus nihil amiſerit. qu
res peruulgata quantum roborauit Chriſtianos, tan-
tum Ethnicos infirmauit. Senex è nobili Brachmano-
rum familia Idolis ad amẽtiam addictus, et crebris
eorum cauſſa ſe macerabat inedijs, & multa ſecum
quocunque pergeret, ſimulacra geſtabat. placuit di-
uinæ bonitati ad Chriſti cultum ſtudium ſenile con-
uertere, ſuſceptoq. baptiſmo, vna cum animi morbi
triplicem ægrotationem corporis depulit. Quod ill
tantum & tam ſingulare Dei munus, & agnoſcit v
debet & prædicat: certus nihil eſſe Chriſtiana reli-
gione præſtantius, qua corporum æque ac animorum
vitia curantur.*

## COLLEGIVM BAZAINENSE.

*SEx & viginti de noſtris toto ſuo ambitu comple-
ctitur Bazainenſe Collegium. In collegio enim
ipſo quatuordecim, reliqui in ſex diuerſis ſedibus
commorantur, quanto cum regionis bono, tum fre-
quens Sacramẽtorum conſuetudo declarat, tum Ma-
hometanorum multa conuerſio. Ex his complures in
publicis aſſeruati cuſtodijs, per noſtros, quo ſe liben-*

ius ad Chriſtianos adiungerent, exempti ſunt. Ma-
hometanus nobilis ac locuples, baptiſmum vna cum
ilia incredibili quadam voluptate ſuſcepit. munie-
rat ſibi ad eum viam priſtinis benefactis. erat illi ſo-
lenne Chriſtianorum templa luſtrare, præcipueq.
Archangelo Michaeli dicatam ædem, ijsq. de ſuis
opibus impertire. atque hæc ipſe quoque ſuæ ſalu-
tis agnoſcit initia. Sane quotidianus confirmat vſus
& magiſtra ratio nos docet, auxilia ei non negari
diuina, qui naturam ducem ſequutus integrum ſe
à vitijs caſtumq. conſeruat. Ecce tibi alius inter
Chriſtianos Mahometanus proximo non diſſimilis,
qui licet patriam occuleret vanitatem, à Chriſtiano-
rum tamẽ non abhorrebat officijs. obibat illorũ tem
pla frequenter, publicisq. precibus & ſacrificijs in-
tererat, libros etiam Chriſtianos & monumenta te-
nebat, nec aliquid à ſuis moribus alienum putabat,
quod in Chriſtianis moribus inſpexiſſet. Bonorum
conſuetudo & illa ipſa ſimulata religio hominem iu
cunde fefellit. affici ad ea cœpit, quæ duntaxat ſpe-
cie conſueuit obire, & amplecti penitus animo, quod
externis modo amplectebatur officijs: tanta vis eſt
Chriſtianæ pietatis, tanta in vtranque partem con-
ſuetudinis efficacitas. noſtri tamen partim vt eius
ſtudium exacuerẽt, partim vt ex eo conſtantiæ ſpe-
cimen caperent, in aliud tempus differendum baptiſ
mum exiſtimarunt, dum ad eum fieret quotidie pa-
ratior. Iam Chriſtianorum in nos beneuolentia do-
nis ac muneribus declaratur. Matrona nobilis ſa-
crum vnius virginis caput, è nobili illo B. Vrſulæ co-

mitatu auro argentoq. incluſit, pectusq́. ſimili ope-
re ornatuq́. contexit. res eſt viſenda plauſuq́. digna.
Alij ad veſtiendas aras veſtem auro argentoq́. in-
textā dono dederūt, aliaq́. ab aliis non minore quo-
tidie liberalitatis, quā religionis ſtudio deferuntur.

In Reſidentia B. THOMAE, quæ paſſuum abeſt
à Collegio duo circiter millia, id contigit ad memo-
riam inſigne. vrgebatur æger inſanabili morbo ac
plane deſperato, cum Sacerdos ab eo noſter euoca-
tus Sacroſanctum Euangelium pie religioſeq́. reci-
tauit. eaque lectione, ægrum repente leuauit, ita vt
paulo poſt ingenti Ethnicorum admiratione, medi-
co præſertim ſtupente, de cubili ſurrexerit.

In TANNENSI ſede, centum ac triginta am-
plius baptizati ſunt. Mahometanus quidam cum al
inſita feritate ſuam ipſe coniugem ferentem ventr
vna cum filia iugulaſſet, aliijſq́. tribus liberis adhu
tenellis inſanabiles plagas impoſuiſſet: Pater, ne to
fieret animarum iactura, præpropero curſu paruu
lorum mortes anteuertit. vix ex ijs vnum baptiſm
reſperſit, cum ille extremum ſpiritum edidit. Ne al
ter quidem diu fuit à baptiſmo ſuperſtes. Tertia ve
ro femina ætate iam grandiore baptiſmum ipſa po
poſcit, eademq́. nunc incolumis, Deo Patribusq́. gr
tias agit ingentes.

BANDORA, oppidum è tribus quatuorue ca
pitū fere millibus, habet è noſtris non amplius tres
ſed qui tamen multorum exæquant induſtriam
Nulla ſunt iam Ethnicorum in hac ora veſtigia, præ
ter vicum quēdam Mahometanorum, omnes ſe iam

Chri-

*Chriſto dedere, baptizatiq. ſunt hoc anno trecenti, nter quos, quoniam multi auctoritate præſtant, Ma ometanorum animi conciderunt, dum ſe deſeri quotidie vident, Chriſtianos vero latiſſime propa ari: curaturq. perſtudioſe vt noſtræ Religionis ru limentis puerorum grex imbuatur, eiuſq. rei cauſſa onueniunt pueri ferme quadringenti: ſpectaculum on minus vtile, quam iucundum.*

*In* DAMANENSI *ſede, quæ ſex conſtat è oſtris, eodẽ incremẽto Chriſtiana res creſcit, rena iq. ſunt ex aqua & ſancto ſpiritu ſexaginta. Nec leſideratur Regij benignitas Ducis, qui Chriſtiana romoueat, is Odeum in templo noſtro tam eximio pere artificioq. faciendum curauit, vt incolæ tale liquid in India conſpici negent.*

## COCHINENSE COLLEGIVM.

*COchinenſe Collegium duas alias habet adiunctas ſedes, habitantq. in his omnibus quinque irciter & viginti. Obijt ex ijs Sacerdos vnus Ludo icus Goueanus, incertum valetudine an veneno. ſa e ingens ſuſpicio fuit, ab Ethnicis veneno ſublatũ, ullum illi acriorem nouerant aduerſarium, quique lures è ſuis ad Chriſtum abduceret. Propius etiã ctum eſt nihil, quam vt cruẽtis barbarorũ gladijs ccumberet alius. Magna enim extiterat inter Chri ianos aliquos, Ethnicoſq. contentio: Chriſtiani di itates quaſdam ab antiquis regibus acceptas, ſi q. vnis regia poteſtate delatas vſurpari etiam ab*

*Ethnicis mercatoribus non ferebant, idq́. armorum initium fuit. rem ſubodoratus ſacerdos noſter, ab Ethnicorum Rege de pacis compoſitione contendit. iuſſit Rex reuerti poſterius, interimq́. redeunti collocantur inſidiæ. nondum ad regem die inſequenti peruenerat, cum armata in eum manus inuadit, multiſq́. cõfoſſum vulneribus pro occiſo relinquit. Pater vt circumuẽtum ſe vidit ab hoſte, ratus eo ſibi letho ſine dubitatione pereundum, nixis genibus ſuum ip ſe ſpiritum ſuo credidit creatori: cum vero aliquan diu in ſuo ſanguine iacuiſſet exanimatus ac vulneri bus prope confectus, poſtea paululum reſpirauit collectoq́. animo, quantum conniti fracto ac debili tato corpore potuit, ægre ad ædes ſe Reginæ tradu xit. ab ea benigne ſuſceptus (quippe viro diſſimili obligatiſq́. vtcunque vulneribus ad Collegium Va lẽtium humeris deportatur. Accerſuntur continu medici chirurgiq́., qui vt fractum contritumq. cor pus aſpiciunt, deſperant penitus curationem. erat c put in tres quatuorue partes fœde diſſectum, dextr brachij diſiuncta & comminuta oſſa miſerandum i modum, terga vulnerata tam alte, vt poſterioris do ſi plagæ anteriori pectori reſponderent, mortuo d nique quam viuo propior. Tamen præter omniu ſpem expectationemq., non ſine recondito occu toq. Dei conſilio, præſentiſſimum diſcrimen effugi manent etiam num plagarũ veſtigia, manus vtriuſ debilitas, vt quoties eas admouere velit ad opus, t ties ei diuini beneficij veniat in mentem. Sunt eni hæc dona Dei, quibus in hac vita plerunque ſuoru*

bene-

*benefacta remunerat, vt quanto quiſque ſtudet ardentius merita meritis cumulare, tanto plures ipſe cauſſas ſuggerat meritorum. In hoc oppido ex Ethnicis baptizati ſunt centum. In Sede vero S. Iacobi, quæ huius Collegij quaſi membrũ eſt, triginta. Alia in Eccleſia, quæ B. Andreæ dicitur, ab vno eodemq. Patre præclara ex Ethnicis eſt reuecta præda: lucro appoſiti ſunt Chriſto fere ducenti, ex ijs tamen non plus viginti ad baptiſmum admiſſi, ſcilicet paratiſſimi, ne ad impios ritus, vt interdum euenit, relabãtur. Neophytus idolo ſacrificare cum vellet, Patrem autem Chriſtianoſq. metueret, ſororem Ethnicam tanti ſceleris adminiſtram adhibuit. non tamen impune, paucis enim poſt diebus ſoror integris ſenſibus miſerandum in modum ſubito corruit, & cum ingenti vi ſanguinis, impiam quoque & contaminatam animam vomuit. exterriti Ethnici cum cauſſa mortis nulla appareret, non male coniectantes, in iram Dei, qui nefarii ſacrificii repeteret pœnas, repentinum illum interitum retulerunt. Ea re celebrata ad Regemq. delata, Magnum, Rex inquit, & metuendum eſt B. Andreæ numen, qui ſuorum ſcelera non patitur impunita. tum Neophytum reum ſceleris, quem antea defenderat, Patri obtulit puniendum. ſane Rex hic non longe abeſt à regno Dei, nec ad res Chriſtianas male eſt animatus. Is cum à Chriſtianis didiciſſet, quanta in ſigno Crucis ad fugandos Dæmones vis ineſſet, collocari eam ſibi iuſſit propter cubile, quam & in honore haberet, & ſibi eſſet pro telo. Alij etiam Ethnici cũ*

*Eccleſiæ noſtræ ritus & ceremonias contemplantur, facile ſibi perſuadent, quanto in errore verſentur ipſi, qui non rerũ omniũ opifici, vt nos, ſed lignis ac lapidibus diuinos habeant honores. vnum eos à ſuſcipienda fide retardat, conſequens bonorum, & fortunarum amiſſio, quæ Ethnici Regis decreto à baptiſmo ſunt relinquendæ. hac fortunarum deſperatione ſublata Chriſtianorum numerus increbreſceret. non deſunt tamen, qui humana omnia poſteriora ſua ſalute ducant, Chriſtumq. multis partibus ſequi malint, quam breui amittenda vitæ bona. Dux inter ſuos nobiliſſimus, qui trecentos milites ſui corporis cuſtodes quotidianis alebat impenſis, vbi ad Chriſtianam Religionem ſemel appulit mentem, nullis poſtea Regis neque pollicitationibus neque precibus à ſuſcepta ſententia dimoueri potuit. huic Rex libera conceſſit omnia: nec commiſſurum ſe dixit, vt, quod ad fortunas pertinet, fraudi ei eſſet Chriſtiana religio. poſtea ad Patrem Regio comitatu dimiſit, à quo poſt Catecheſim, baptiſmum lætus accepit.*

## COVLANA DOMVS, & ora Trauancoris.

*IN Coulana Domo totaq. ora Trauancoris, vbi nouem è noſtris duabus diſiuncti ſedibus commorantur, magna patientiæ facultas & materia præbetur. mira enim hic rerum omnium penuria, mira caritas, intolerabilis legum iniquitas Ethnicorum*

Regum, immitia barbarorum ingenia, qui minima videantur occaſione conterriti, vt Chriſtianos laceſſant iniurijs. Miſerat Rex Trauancoris maleuolorum ſermonibus pene compulſus, armatorum militum manum in oppidum Colechę, qui P. Nicolaum Spinulam comprehēderent vinculisq. conſtringerēt. ac niſi mendacium eſſet mature compertum, male cum Patre ageretur, ſi tamen malum eſt pro Chriſto quæuis indigna perpeti, ac non potius ſumma felicitas. Alius inter ſuos dynaſta, amplitudine & dignitate noſtris Ducibus prope par, cum copijs & elephantis Patris Domum obſidione cinxerat, atroces intentās minas, operaſq. tantum non admouens ad diſturbandas ædes. ſed plus valuit lenitas & māſuetudo Patris, quam barbari Ducis immanitas: qua victus mutauit ſubito mentem, & ex inimico factus eſt amiciſſimus.

In oppido Muta, rixa inter Chriſtianos Ethnicoſq. coorta: Ethnici templorum valuas obfirmatas peſſulis euerterunt, aliaq. multa in Chriſtianos ignominiæ plena ac dedecoris admiſerunt. His illi commoti rebus ab Ethnicis ſe ſeiungunt, Mutamq; & Careopatam deſerunt, teſtati ſe non prius ad ea colenda oppida redituros, quam templū ereptiq. Deo honores reſtituantur: his enim minis valde permouentur Ethnici Reges. itaque coactus eſt Rex Trauancoris, ne ab incolis deſereretur, materiem nouis extruendis templis, certamq. nummorum ſummam ſuppeditare. Alio in oppido Mauri Mahometo fanum exædificauerant. quæ res quoniam ingens erat

Chriſtianis offenſio,dederunt operam noſtri, vt fanum illud euerterent. Mauri reſiſtere acriter, Regem ſibi conciliare donis,cuſtodias ac vigilias,ne fanum illud violaretur,intendere, arcere ab eius aditu & propulſare Chriſtianos. Chriſtiani noſtrorum nutu oppidum continuo deſerunt,nec ante reuertuntur, quam Regio diplomate fit poteſtas templi impuriſſimi complanandi.eam rem adeo grauiter Mahometani tulerunt,vt Patri eius rei auctori perniciem atque interitum molirentur. Sed tamen, Deo ſuum famulum protegente,conatus omnes ad nihilũ reciderunt. Hæc & alia pericula noſtrorum capitibus quotidie imminẽt:quæ tamen illi præ animarũ ſalute contemnunt,certi ibi ampliora eſſe præmia, vbi ſunt diſcrimina duriora. Poſita ſunt hoc anno CHRISTO IESV, & quidem inuitis hoſtibus,templa duo: & quanquam,vt dixi,moleſtiæ non deſunt hoſtiles, tamen eodem Chriſto duce obuia quæque vincuntur,& nouo ſemper Chriſtianorum fœtu mitigantur aduerſa. Multi enim & ex Ethnicis & ex Mahometanis traducũtur ad Chriſtum,multi item inſtituuntur ad fidem.defiguntur paſſim venerandæ Crucis inſignia, eaq́ue non a Chriſtianis modo, ſed ab ipſis quoque barbaris honorantur. In Coulano ſuperiore cum ſine Regia poteſtate excitata crux eſſet, id Ethnici periniquo ferentes animo ad eam euertendam cum Elephantibus aduolarunt. vt in Crucis venere conſpectum,ingenti pauore preterriti pedem illico referunt,tum demum ſentientes,Crucis quanta vis eſſet,quæ æreas inferorũ portas confregit,

*fregit, & omnes Diaboli copias tyrannidemq. deleuit. Coulanenſium autem Chriſtianorũ ſingularis in nos eſt pietas. ij templum noſtrum amplificare cum vellent, & anguſtias laxare ſacelli, collatis in commune pecunijs, ingentes aceruos lapidum congeſſerunt. Auriq. ſatis multum ad lychnum penſilem ex argento dederunt.*

## MALACENSE COLLEGIVM ET ora Piſcariæ ceteræq. ſedes.

*MAlacenſi Collegio, vbi octo de Societate verſantur, conſimilis tributus eſt lychnus, ſed diſſimili pondere. quippe aureorum circiter octingentorum.*

*Ex ora Piſcariæ & inſula Manar, quas de noſtris excolunt quindecim, ſeptem diſiuncti locis, non exiguæ animarũ capiuntur vtilitates. Comorinenſes certe, vt ceteros taceam, ſtudio pietatis palmam ferunt, id quod aiunt ſolitum noſtrum perhibere Xauerium, non enim ipſi modo admirabiles habent in Religione proceſſus, ſed calcaria ceteris admouent, vt in eodem curriculo pari cum laude verſentur. itaque ſunt quaſi quidam adminiſtri adiutoresque Societatis. Sacrarum confeſſionum ſtudia tanta ſunt in his locis, vt non multum otij ad res ceteras noſtris Sacerdotibus relinquatur. totos ſæpe dies expiandis animis occupantur, totoq. fere anno eius rei*

cauſſa diuerſa loca percurrunt: nec tamen omnium ſtudijs obſequi poſſunt: tã impar eſt operarũ numerus numero pœnitentiũ. Et quoniã multi, quæ ad inſtituendam confeſſionem pertinent ægre percipiunt, ideo horum confeſſionibus commodiora tempora reſeruantur. ex hoc genere fere ſunt feminæ iam ætate prouectæ, quæ tamen ipſæ moræ impatientes gemitibus lacrymiſq. ſe dedunt, ſi eorum confeſſio procraſtinetur. Conuenerunt aliquando in ædem noſtram contentis Deum vocibus obteſtantes, rem indignam videri, quod, cum ipſæ pro viribus laborarent, tanto tamen ſalutis præſidio fraudarentur. Earum vna cum ſacris adeſſet, quo tempore Sacerdos ſalutarem hoſtiam, elatam inter manus, populo adorandam oſtendit, magnis à Deo clamoribus implorabat vim opemq. rite pœnitendi. quod cum ſæpius non vno tantum die, ſed pluribus iteraret, ad extremum ſublatis in cœlum manibus, oculiſq. defixis in aram, lacrymarum remiſit habenas, totaq. in ſuſpiria gemituſq. ſoluta, Patrẽ denique flexit, vt ſibi copiam eius faceret ſacramenti. quo impetrato & ipſa & Pater inuſitatã quandã lætitiæ voluptatem perceperunt. Sanctiſſimũ Chriſti corpus Chriſtiani illi tanto animi candore ſuſcipiunt, vt Chriſtianis Europæis ſuum teporẽ exprobrent. Præſcripſerat vni Pater, vt ad Euchariſtiam in diem poſterum ſe pararet. is mane prima luce templum ingreditur, obuiamq. fit Patri, quærentiq. Patri quo pergeret, tremebundus & illacrymans, Ad Chriſti, inquit, te imperante, conuiuium.

In

*In AETHIOPIA duo tantum è Societate ſuperſunt, ijq. magnis in laboribus annonæq. difficultatibus, & rerum omnium inopia vitam tolerant. quæ tamen incommoda leuat interdum animarum nonnulla conuerſio. Verum Luſitani Ducis interitus, qui noſtris erat ad tuendam Chriſti fidem ſingulare præſidium, omnium animos debilitauit ac fregit: tametſi ea, quæ in Deo debet eſſe fiducia, nihil eſt imminuta. cum id diuinæ clementiæ & ſapiẽtiæ ſit proprium, vt cum res in extremum ſunt adductæ diſcrimen, tum ijs peropportune ſubueniat.*

PRO-

# PROVINCIA BRASILIA.

F*Verunt hoc anno de noſtris in Braſilia Prouincia centum & quadraginta duo. In Collegio Bayacenſi duo & ſexaginta. In Ilhearum ſede non plus quinq;. In Portu ſecuro quatuor. In Collegio Fluminis Ianuarij quinque circiter & viginti. In Præfectura Spiritus ſancti octo. In S. Vincentij reſidentia ſeptẽ. Piratiningæ quatuor. In Collegio Pernambucenſi viginti duo. Vita ceſsere duo, ſex Societate recepti.*

## COLLEGIVM BAYACENSE.

N*E Braſiliæ quidem ſua fœcunditas defuit. Quinque millia amplius & ſeptingentos hic annus habuit, qui in Bayacenſi Collegio diuina myſteria frequentarunt. Concionum eadem eſt, quæ ſolet vtilitas. ſed non neceſſe habemus in quotidianis & vſitatis hærere. Certant fructus domeſtici cum externis, eiuſq. rei gratia P. Viſitator inſtituit, vt toto ferme anni curriculo Sacerdotes duo vicina prædia pagosq. concurſent, vt animorum egeſtati, quacunque poſsint ope, ſuccurrant. Quibus in itine-*

*ribus*

*ibus quam multos quotidie exorbeant terra mariq. abores, ſibi ipſi ſunt teſtes; ſed tamen eos tam ala-riter ſubeunt, vt profectiones illas exiſtiment in-uaues, quæ non his aſperitatibus condiantur. Cogun ur vnum in locum Aethiopes ſimul & Indi, ijque vel Chriſtianis legibus erudiuntur, vel Baptiſmate ut Confeſſionibus expiantur. baptizati ſunt autem n his profectionibus mille trecenti & ſexaginta: au-liti quinque millia amplius & quadringenti.*

*Tria Indorum oppida, quæ noſtrorum fidei cu-æq. credita ſunt, nihil habent hoc anno diſſimile roximorum. multa in his quoque Confeſſio, multa ommunicatio corporis Chriſti: baptizatiq. ſunt cen um & triginta quatuor. Inda quædam adhuc Ethni a, cum ex grauiſſimo morbo properaret ad mor-em, baptiſmum ſumma contentione popoſcit. vt im-petrauit, momento reddita eſt ſanitati: tantas habet vires ſeu accēſa in Deum fiducia, ſeu ſalutaris aqua baptiſmi. Sed vim ſuam Deus in ſacramentis non ſe-mel oſtendit. Indus brachio altero vulneratus præ-ſentiſſimum diſcrimen adibat. tam alte enim inſe-derat telum, vt cæſa vena ſanguinem ſine modo pro-funderet. nihil erat quod eum ſupprimeret, proflu-uio vincebantur omnia, crebra defectio animi, cre-bra deliquia ſequebantur: cumq. humanæ defeciſ-ſent artes poſt breuem peccatorum expiationem, ſumpto auguſtiſſimo Chriſti corpore, ſanguis ſubito conquieuit. Ne illud quidem leue indicium eſt diui-næ fiduciæ. nuper cum pluuias aquas negaret cœlũ, magnoq. in metu eſſet difficultas annonæ, decreta*

eſt

*eſt publice ſupplicatio ad euocanda cœleſtium ſubſidia, circumlatumq. per vrbem vnius virginis Cranium ex Vrſulæ comitatu: tanta hominum pietate ac comploratione, vt eadem nocte obducto nubibus cœlo ſuæ liberalitatis fontes Dominus aperuerit, & quidem ea largitate ac copia, vt ſumma vilitas ſperaretur.*

*E Gymnaſio ſua quoque ad Eccleſiam vtilitas rediit. Adoleſcentes non pauci virtutis pulchritudine capti contempta vitæ vanitate intra cœnobia ſe receperunt. multa autem ad eorum pietatem incitandam excogitantur, inſtitutaq. nuper ſodalitas eſt in honorem vndecim millium, quas dixi, virginum, non ex auditoribus tantum noſtris, ſed è cæteris quoque ciuibus, quos auditores ipſi ſuo excitarint exemplo. nec ab re fuit huius ſodalitij in honorem earum virginum inſtitutio. nam cum tria apud nos Crania ex eo choro virginum aſſeruentur, iure videntur præcipuum quendam honoris cultum & venerationem exigere. Sodalitatis initium ſpectacula decorarunt: Inſtructa eſt ſupplicationis pompa: in eaq. Nauis artificioſa prodibat ligneis acta rotis adeo latenter, vt humanus falleretur aſpectus. Hac B. Vrſula cum comitatu reliquo vehebatur. cui de cœlo Angelus affuit manu præferens palmam, & ad martyrij gloriam virgineum agmen accendens. Tum virgines oculis hilariſsimis accepto nuncio coniunctis vocibus exclamarunt, ſe ad effundendum pro ſponſo ſanguinem paratiſsimas. quibus ſermonibus vltro citroq. habitis ad vltimam cœleſtis nuncij vocem ſuum na-*

uis

uis curſum proſequuta eſt, vexillis rubris elatis editisq. feſtiuo tormentorum ſtrepitu læti triumphi ſignificationibus. His ac ſimilibus ſpectaculis editis exhibitus eſt veſperi dialogus peruenuſtus, qui ſanctarum virginum cædem, ſanguinem, funeriſq. curã, quæ ab ipſis Angelis iucunde canentibus eſt ſuſcepta, vſque adeo repræſentabat, vt nec ſpectatores cohibere poſſent lacrymas nec actores. His inuitamentis vix dici poteſt, quanti fieri cœperint ad nos concurſus, ac per eam occaſionem, quam confitentium numerus auctus ſit.

## COLLEGIVM FLVMINIS IAnuarij & reliqua.

IN Collegio Fluminis Ianuarij induerũt ex Ethnicis Chriſtum centum & ſexaginta. Sed quod genus Indorum hoc ſit & quam vehementer ad pietatem incenſum, cum multa documento eſſe poſſunt, tum illud, quod cum ex altero oppido migraretur (ſunt autem in hoc Fluuio Indorum oppida duo) & locus quæreretur aptior, conſtituiſſentq. noſtri, vt antequam migratio illa fieret, domos ſibi Indi conſtruerent, negarunt illi, ſe commiſſuros, vt prius ſibi tectum, quam Deo templum erigerent: itaque precibus contenderunt, vt liceret ſibi templi curam rebus ceteris anteferre, eaq. impetrata continuo ad inchoandum opus vniuerſi ſe contulerunt. Dũ foditur fundamentum, dum paries ducitur, ecce tibi primarius ſenex, quem trimus ſequebatur infans plenis gle-

glebarum manibus, quas ferebat in ædificium. Hic parens conuerſus ad filium, Defer huc, inquit, nate & adiunge parieti: tibi enim fit hoc templum, quem Deus ad hæc tempora reſeruauit, ne ferinos maiorũ tuorum mores barbarosq. ritus aſpiceres.

PIRATININGAE baptiſmo luſtrati ſunt cẽtum ac ſeptuaginta quinque. Centum vero in Præfectura S. Vincentij: ſæpeq. ex hoc oppido in peregrinos pagos excurritur, quorum fides niſi crebris noſtrorum ſermonibus foueatur, vix ſeipſa ſuſtentet: tanta eſt paucitas operarum.

In PERNAMBVCENSI Collegio res accidit omni commiſeratione digna, & quæ noſtris fratribus triſtitiæ plurimum attulit. Frater vnus â prandio cum valens atque integer eſſet, ad ſignum ſalutationis Angelicæ ante omnium oculos exanimis corruit, ſublatuſq. inter aliorum manus & collocatus in lecto, nullum amplius motum aut vitæ ſignum edidit: vt intelligamus tandem, quam incerta ſit vita noſtra, qui vel propoſita ante oculos morte longiora nobis ſpatia tacitis cogitationibus pollicemur. ſed quanquam, vt dixi, ipſum mortis genus valde perculit vniuerſos, ſolatio tamen fuit acta cum virtute vita: erat enim virtutis exemplum, & propter ſuauitatem morum non minus externis, quam domeſticis charus. Iubilæum recens acceperat, ac demum ita animo videbatur affectus, vt gratulãdum potius illi ſit, quã eius cauſſa dolendũ, quẽ mors paratiſsimũ ſine lectuli tædio, ſine morborũ cruciamentis, ſine angore illo, qui ex mortis expectatione ſuſcipitur, ex

bis ærumnis ac laboribus in illam quietem ac regionem Beatorum momento tranſtulerit.

Ad SACCARI torcularia vbi ingens eſt vis Aethiopum, de noſtris frequenter mittuntur, ſperaturq́. ex his profectionibus vberior ſemper vtilitas. Acceſſit ſubſidium cuiuſdam adoleſcentis, ſermonis bene periti, qui ſe nuper in noſtrum numerum aggregauit, acri ingenio, & ad dicendum natus, vt omnia de eo ſperari iam liceat. Expiati ſunt in his peregrinationibus centum & nonaginta baptiſmo: confeſſione vero quinq́. amplius millia.

# PROVINCIA POLONIAE.

VNdecim numerantur in hac Prouincia Collegia. Reſidentiæ quinque. Socij amplius trecenti. In Collegio Bransbergenſi, quod Probationis Domum habet adiunctam ſex & quinquaginta. In Pultouienſi duodetriginta. In Vilnenſi quinque & quinquaginta. In Poſnanienſi vndetriginta. Iaroſlauij ſeptem ac viginti. Claudiopoli triginta. In Polocenſi Collegio ſeptem. Sex in Lublinenſi. Vndecim Rigæ. In Caliſienſi nouem. In Nieſuiſienſi ſeptem. Cracouiæ in duabus ſedibus totidem. Albæ Iuliæ octo. In Torpatenſi Reſidentia decem. In Suecia vero & Varadinenſi in ſingulis bini. Qui vero huc atque illuc de more mittuntur fere decem. Duos ex vniuerſa Polonia mors abſtulit: reddidit Dominus ad triginta.

## BRANSBERGENSE, PVLTOuienſe, & Vilnenſe Collegia.

BRansbergenſi Collegio ſubiecta ſunt alia quatuor. Seminarium tum Summi Pontificis, tum Epiſcopi, Contubernium conuictorum, & Nouitiorum Domus. Traditæ ſunt Societatis meditationes

nonnul-

nonnullis externis, eiuſq. rei cauſſa Sacerdos quinquaginta millia paſſuum ad nos contendit. Exteris ſuus quoque partitus eſt labor. Nemburgum, oppidum non multis ante annis hæreticorum, paucos putabatur habere Catholicos, ſed eo noſtri cum veniſſent ſexcẽtos amplius, quorũ confeſſiones exciperẽt, inuenerũt, Eccleſiæq. reſtituerũt duos circiter & triginta. Fert & ſuos fructus ſodalitas Dei Matris, cuius ſodalitatis fama permotus Sueciæ Regis filius pius ac Catholicus adoleſcens quamuis parente natus hæretico, litteras ad eam dedit, vt ſibi in ſodaliũ numero liceret eſſe; quod vt rarũ admodũ eſt; ita ad exẽplũ maxime profuit. Seminariũ Pontificium aliis coemptis ædibus vſq; eo laxatũ eſt, vt centũ circiter alũnos capiat. Auctũ eſt etiã Collegiũ peramæno ac fertili prædio vna piorũ liberalitate ac beneficiẽtia.

PVLTOVIAE hæretici Sciſmaticiq. duodecim Religionem Catholicam ſuſceperunt. Quidam cum trigeſimum iam annum confeſſionis ſacramento careret, ægrotauit ad mortem, iamq. omni vi ſentiendi deſtitutus, terrores in extrema illa pugna experiebatur acerrimos. ſed cum de eluendis rite maculis ſubiiſſet animum cogitatio, easq. apud Sacerdotem noſtrum, qui moribundo aderat, eluiſſet, non ita multo poſt præter omnium ſpem expectationemq. leuatus eſt morbo. Sed Sacramentorum beneficio non ſemel tantum curata ſunt corpora. quendam perditæ impuræq. vitæ hominem cum comitialis morbus vrgeret, non ante morbo, quam peccatorum leuatus eſt onere. Matrona nobilis dum primo vere

concretum frigore fluuiũ quadriga pertrãſit, fracta glacie in flumen ipſum delapſa eſt. ſed cum ex eo rurſus apparuiſſet Deiq. ope euaſiſſet incolumis, affirmauit, ideo ſe vim fluminis effugiſſe, quod eo die ſanctiſſimam apud nos ſumpſiſſet Eucharistiam.

VILNAE ad Societatem aggregati ſunt octo: ad Eccleſiam autem, ſi eos, quorum religio lababat, excipias, quinque circiter & octoginta. Virgo nobiliſſima Ducis cuiuſdam ſoror parentibus nata Ruthenis, eductaq. in hæreticorum gremio, cum de religione Catholica à noſtris eſſet admonita, initio diu multumq. reſtitit, poſtea oborta de cœlo luce, manus dedit; cumque concioni de acerbiſſimis Christi cruciatibus intereßet, animo ſic exarſit, vt non modo crucis inſignia pijs oſculis venerari, verum etiam in omnium oculis confiteri peccata, & ſuam ipſa deteſtari hæreſim non dubitarit. Nec vero apud Ruthenos prædarum minus eſt factum, ex ijs enim ad Catholicos partim Vilnæ, partim alibi cẽtum & duodecim diſceſſerũt. Ex Lotauis quoq; apud quos nullius certæ religionis eſt cultus, Eccleſiam Catholicã agnouere nonnulli. Atque horum omniũ ea eſt animi firmitas atque conſtantia, vt quiduis perpeti malint, quam vt à ſuſcepta religione deficiant. Ruthena quædam, vbi Catholicorum inſtitutum ſemel arripuit, ne verberum quidem aſperitate, aut munerum amplitudine deijci de mente potuit. Alia itẽ, ne ad ſuos redire cogeretur, magna pecuniarum vi repudiata, quæ ſibi vltro offerebatur à ſuis, vitam inopem cunctis commodis antepoſuit. Data eſt opera ex-

ra ex-

*ra expiandis multorum animis, auditiq. ſunt octoginta amplius & quadringenti, qui confeſſionem à primis annis exorſi, expiauere peccata. Quidam verecundia impeditus diu occultauerat in confeſſione facinora; ſed tantis cœpit conſcientiæ ſtimulis agitari, ſibiq. adeo diſplicere, vt mortem ſibi meditaretur inferre. Censtochouiam ſubito ceſſit (locus is eſt Dei Matris prodigijs miraculisq. percelebris) ibi vim numenq. tantæ Virginis reformidans, in ſyluarum latebras ſeſe abdidit, & qui ferarum immanitatem induerat, inter ipſas feras trium circiter menſium interuallo delituit. poſtea cœnobio ſeſe incluſit. ſed cum animus, qui vbiq. ſemper eſt idem, ne tum quidem conquieſceret, conſiliũ cepit agendi cũ Patribus, quibus omnis ætatis peccata confeſſus, tandem conſcientiæ ſedauit angores. Alius cui fidẽ male ſeruauerat coniux, cum id ei vicinus per dedecus exprobraret, amens ira vicinum ipſum grauiter vulnerauit. vbi feruor iræ reſedit, agnouit erratum, verenſq. ne ei, quem percuſſerat, attuliſſet interitũ, vt erat natura & diſciplina vir bonus, triſtiore cœpit animo eſſe, eoq. eſt dolendo progreſſus, vt qui ab aliena vita non temperauit, ne ſuæ quidem ipſe pepercerit: ferro accepto conclaue ſolus ingreditur, ibiq. horrendum in modum ſibi pectus aperit. exterriti rei nouitate domeſtici, continuo noſtros accerſunt, qui hominem iam ſpirantem aggreſſi, ſuis ſermonibus perfecerunt, vt antequam reliquum effunderet ſpiritum, ſpe concepta ſalutis, & a peccatis animum expiaret & veniam ab eo, quem læſe-*

rat, poſtularet. Habemus in his locis, id quod neceſſe eſt, acerrimos aduerſarios, ſed ex altera parte non minus ſtrenuos patronos: in his Cardinales duos Radiuilum, & qui non ita multo ante obijt, Bolognettum: his Rex cum pileos atque inſignia Cardinalatus imponeret, habita eſt ab vno de noſtris concio de amplitudine totoq. munere Cardinalatus: ij deinde paucis poſt diebus ad nos venerunt, & prãdium iniere nobiſcum. A Rege autem, ne ab vſitata ſua liberalitate diſcedat, multa etiam in nos collata ſunt commoda. proximeq́. pretioſis peripetaſmatis nos donauit, tum ad ædem ſacram, tum ad Gymnaſij aditus exornandos. Staniſlaus Radiuilus Dux in Olica Cardinalis frater, relaxãdis noſtrorum animis locum non incommodum ciuitati, noſtris autem peropportunum attribuit. Foras ad animarum lucra ſunt profecti tam multi, vt ſi omnium plena vtilitatis itinera numerentur, nullus dicendi ſit modus. hoc vniuerſe dici poteſt, permultos & ab hæreſi, & a Schiſmate receſſiſſe: multis item impertita eſſe diuina myſteria: vitioſas conſuetudines, quæ ſenſim irrepſerant, aut repreſſas, aut omnino ſublatas, rudes populos diuinis legibus inſtitutos, ceteraq. id genus acta permulta. Noſtras porro meditationes obiere complures, earumq́. vtilitas tanti eſt apud omnes, vt cum cœnobium ſuum Franciſcanæ familiæ Viſitator inſpiceret, in mandatis Moderatori reliquerit, ſuos vt cœnobitas his curaret meditationibus excolendos, id quod in Collegio noſtro ſedulo ac diligenter eſt factum.

POS-

## POSNANIENSE, IAROSLAuienſe, & Polocenſe Collegia.

*AVctum eſt Poſnanienſe Collegium tum nouis ædificijs, tum prædio quodam, Archiepiſcopi Gneſnenſis opibus comparato. E ciuibus non exigui percepti ſunt fructus. Ad Eccleſiam rediere nouem & nonaginta, & quidem è nobilitate complures. adeoq. multi ſua huc voluntate propendent, vt minus iam litium nobis ſit cum hæreticis. idem pene è finitimis locis conſecutus eſt fructus.*

*IAROSLAVII editis ſpectaculis de Rege Nabuchodonoſor, aucta eſt mirum in modū ſcholarum frequentia. quare vel de longinquis locis nobiliſſimi ad nos mittuntur adoleſcentes. Par hominū concurſus ad templum, ac præter eos, quibus ſolemne eſt diuina vſurpare myſteria, expiarunt antecedentis vitæ peccata fere quingenti. Hæretici autem triginta, ſchiſmatici vero quindecim cum Catholicis conſpirarunt, duoq. adoleſcentes Iudæi in exteris locis baptizati ſunt.*

*POLOCENSE Collegium quotidie magis à Rege prouehitur. nam & ei pagos aliquot, quos plerique hæretici varijs nominibus occupabant, adiunxit; & templum varia ſupellectili auro argentoque fulgente locupletauit. Noſtris vero nulla vnquam benemerendi de proximis occaſio deeſt. Eorum conſilio quidam Luteranorum miniſter ad Catholicos ſe recepit, redditiq. ſunt Eccleſiæ circiter quindecim,*

*cim, qui numerus, ſi & Ruthenorum naturam ſpectes, & quam ſit adhuc in his locis Societatis ignobile nomen, exiguus profecto videri non debet. Ruthenorum liberi etſi eos habent parentes, qui à Latinis vehementer abhorrent, Ruthenicas tamen litteras ita docentur, vt Latinorum & litteris aſſueſcant & ritibus; nonnulliq. adeo ſunt in religione conſtantes, vt à ſcholis noſtris abducti, certis tamen temporibus ſibi non deſint, quominus ad vſurpanda Sacramenta conueniant.*

## LVBLINENSE ET NESVISIENSE.

*PAres propemodum è Lublinenſi Collegio capiuntur vtilitates. Nobilis in primis vir opibusq. refertus, cum quartum & vigeſimum annum verſaretur in hæreſi, eam tandem abiecit, varijsque locis decem duodecimve ad ſanam ſunt reuocati doctrinam. Inter Anabaptiſtas & Ebionitas, ex alijsque ſectis hæreticos, qui paſſim ad diſputationem Catholicos prouocabant, mirum, Deo fauente, ſilentium: ita eorum audaciam noſtrorum repreſſit oratio. Collegij res optimo & pientiſſimo Regi magnæ curæ ſunt. Dum templum exſtruitur certam pecuniã ad quinquennium quotannis aſſignat. Matrona etiã nobilis florenorum duo millia, hoc eſt ducatos mille quingentos dono dedit, alijq. alia, pro ſuis quiſque opibus ac pietate.*

*NIESVISIENSIS Reſidentia hoc anno primũ Collegij nomen accepit. Auctor operis, Nicolaus*

Chriſtophorus fuit, Dux in Olica, & Romani Princeps Imperij, eorum quorum paulo ante mentionem fecimus, frater natu maximus. Is ſuæ ditionis tuendæ ſtudio, contra hæreſum peſtem, quæ finitimas regiones varia ac multiplex occupauit, Collegium aliquod magna contẽtione popoſcit, & quanquã, (ab eo Hieroſolymitana peregrinatione ſuſcepta) in eius reditum reiecta res eſt: duo tamen quaſi loco pignoris dati ſunt, qui, dum eius morantur aduentum, viã ſibi ad euellendas hæreſes patefaciant, quo faciliora poſtea ac ſolutiora ſint omnia Collegio iam nato. Patrem autem Prouincialem admiſſi Collegij nũtium afferentem Dux ipſe quam lætus exceperit, dici vix poteſt. In fundando firmandoq. Collegio tam liberaliter humaniterq. ſe geſsit, vt quicquid de noſtrorũ ſententia neceſſarium ad eam rem viſum eſt, id ratum fixumq. voluerit. Ad Collegij fabricam præter amplam aream, præterq. ædificationem templi, quæ ſibi ipſe reſeruat, octo florenorum millia, id eſt ducatorum fere ſex millia toto triennio perſoluenda cu rauit. Iam vero primo huius Collegij ortu, ea eſt ad Catholicos hæreticorum facta conuerſio, vt fructus operis iam nunc conſtet. Quinque autem & octoginta partim hæretici, partim ſchiſmatici Catholicorũ numerum auxerunt. In his nobilis adoleſcens, quem parens præcipuo hæreticorum duci in diſciplinam tradiderat. is quanti Catholicam religionem faceret, occulta primum Sacramentorum vſurpatione, deinde etiam aperta (vt qui paternas minas pro nihilo iam ducebat) oſtendit. Alter cum obſeſſus a ma

*lo dæmone teneretur, expertus Poporum ſeu Sacerdotum Ruthenorum perfugia, vana eſſe ac plane nulla, propterea quod Popi ipſi multo magis vim dæmonis formidabãt, ad nos confugit. noſtri cum hominem docuiſſent ad abigendos malos dæmones nihil eſſe præſentius, quam cũ pietate, ſacra obire myſteria; ſtatim, expiatis rite peccatis, Chriſti corpus accepit, atque ea ratione breui ſe ſenſit incolumem. Alius multos iam annos peccatorum expiatione neglecta, è graui morbo in quem cecidit, amiſit aſpectum. at, confeſſione communioneq. recepta, lux illico rediit. Varia autem noſtrorum profectione, viginti amplius ex hæreſum tenebris ad lucem veritatis euocati ſunt, multiq. rite animi expiati, & ad honeſtam laudabilemque vitam à turpi & flagitioſa conuerſi.*

## COLLEGIVM RIGENSE ET Torpatenſis Reſidentia.

*EX itinere Liuonico, quod Cardinalis Radiuilus tum ad propagationem Catholicæ religionis, tum ad optimam rei politicæ adminiſtrationem ſuſcepit, multa ad animos commoda redierunt. Adiunxit toto hoc itinere vir in primis pius Sacerdotem ſibi de noſtris, cuius opera, tum ad inſtituendos Catechiſmo rudes, tum ad Eccleſiæ Sacramenta præbẽda, reliquaq. huiuſmodi obeunda munera vteretur. Quibus rebus cum plurimũ Cardinali ipſi exiſtimationis apud omnes acceſſit, tum Societati non parũ*

*Apud*

*Apud ſchiſmaticos Moſchos ea erat de virtute Cardinalis opinio, vt negarent ſuum Archiepiſcopum dignum eſſe, qui vel tanti viri oſcularetur ipſa pedũ veſtigia, tantus autem ſeſe vbique comitatus adiungebat officij gratia, vt ab Eſtonibus tanquam alter Pontifex Max. haberetur. Ea res ad coercendam hæreticorum inſolentiam plurimum valuit. Quodã in oppido cum multos ad ſe Eſtones concionator hæreticus allexiſſet, Cardinalis iuſsit omnes è templo, atque ex ipſa concione diſcedere, edixitq. hæreticorum Senatui, ne quid tale in poſterum ſuis Miniſtris impune permitteret. A noſtris præterea varia in oppida frequenter excurritur, & quidem magno cum quæſtu compendioq. animarum; & quoniam eorum, qui linguas regionum teneant, laboratur inopia, Sacerdotes etiam adhibentur externi; vnde fere idem atque è noſtris vtilitatis fructus accipitur. Eorum vnus vno die centum ac ſexaginta homines baptiſmo luſtrauit. alius ad Euchariſtiæ myſteria tam multos quotidie cogit, vt iam inter Catholicos, non inter hæreticos verſari videamur. His alijsq. præſidijs repreſſa eſt paulisper hæreticorum inſolentia: contra vero auctus ciuium in nos amor atque obſeruantia; ita vt qui contemnere præ ſe Catholicos videbantur, nunc vel quia ſtudia in nos Senatus animaduertunt, vel quia ipſorum Miniſtri publicum diſputationis certamen abnuunt, quodammodo vereantur. Etenim Senatus in nos beneuolentia nemini eſt obſcura. is in eos, qui nobis negotium exhibent, animaduertit; is loca quædam in vrbe vnde vectigal*

annuum

annuũ capi poſſet, attribuit; is & munerum dignitate Prouincialis noſtri excepit aduentum, & cum inſtruxiſſet celeberrimum in Curia conuiuium, Prouincialem ipſum Collegiumq. totum per viros principes inuitauit.

Nec minus ſedulo TORPATI, quã Rigæ in animarum cauſſa noſtri verſantur. Quoniã autẽ triplic hominum genere, vt alijs litteris demonſtratum eſt, continetur hæc regio Eſtonibus, Germanis, Polonis, iccirco ne quod prætereatur expers vtilitatis, varijs ſæpe linguis, ternæ, quaternæue conciones habentur. Iam finitima Liuoniæ loca tam frequenter obita ſunt, vt par prope fructus labores itinerum compenſarit. Ac fere omnes, quoquot à noſtris inſtituti ſunt, in Catholica religione ſic perſtant, vt omni aſſeueratione confirment, animam ſe potius, quam veritatem ſemel agnitam relicturos. Templa omnia, egregia illa quidem atque ampla, ſed cœli iniurijs, vetuſtateq́. pene collapſa noſtrorum monitis inſtaurantur. Expiati ſunt hoc anno baptiſmo domi foriſq. nongenti, ac ſeptuaginta: alijs autem, qui ab hæreticis nulla adhibita ceremonia accepere baptiſmum, ea ſunt, quæ deſiderabantur, adiuncta. Sacræ confeſſionis non modo nullus apud hos homines vſus erat, ſed ne ſatis quidem explicata uox ipſa: nunc tam ſalutari conſuetudine inſtituta, eius rei cauſſa uenerunt ad nos amplius Poloni & Eſtones quadringenti. Hæretici Schiſmaticiq. & ſi antea alieni erant à nobis, nunc tamen à noſtris congreſsibus non abhorrent. ſæpe nos euocant, ſæpe conferunt de re-

ligio-

*ligione ſermones: nec deſunt, qui noſtrorum colloquijs ex longo quaſi errore vitiorum atque hæreſum ad directum ſalutis iter ſanæq. doctrinæ ſe reuocent. Alij vt in ſuis templis vel conciones habeātur, vel Catholico ritu ſacrificetur, efflagitant; quorum ſtudijs ea conditione mos geritur, ne quis id temporis ad ſacras ædes ex ipſorum Miniſtris accedat. In celebri pompa ac ſupplicatione corporis Chriſti, nobilis* Lutheranus *venerabundus nudoq. capite auguſtiſſimum Chriſti corpus comitatus graui ſuos oratione, vt Deum ibi præſentem agnoſcerent, cohortatus eſt, qua cohortatione ſic excitatus eſt alius quidā, vt in confertiſſima multitudine clamore ſublato, Deo immortali gratias egerit, quod ſua in eo myſterio præſentia, mortale genus hominum dignaretur. Ea vox virum præterea nobilem impulit, vt in ſuam ditionem ſacerdotes Catholicos euocaret. Sed in iuuandis curandisq. animis non minimam partem ſibi vendicat corporum diuina curatio. Aegri tam multi è longinquis etiam remotiſq. locis deferebantur, vt ſi in poteſtate noſtra eorum ſalus, & valetudo fuiſſet. Conſtat aſperſionem aquæ luſtralis, cæleſteſq. agnos è ceris conſecratis, non modo Catholicis, verum etiam hæreticis fuiſſe præſidio. Sacerdos è noſtris dum finitimis oppidis lucra quæritat animarum, ecce tibi hæretici primarij filia è regione longinqua, vt delirantem veneficijs & cantionibus fratrem menti priſtinæ reſtitueret. datum eſt ei tum ex ea, quam dixi, cera non nihil, quod de ceruice ſuſpenderet; tum luſtralis aqua*

*cum*

cum ſale, quibus epulas menſamq́. perſpergeret. fe-
cit illa imperata fidẽter, & mens illico fratri rediјt.
Puellam Torpatẽſem varijs ſpectris ad inſaniam re
dactam, vt ad mentem rationemq́. reduceret, paren
nihil intentatum reliquerat: at vbi præſidia huma-
na fallebant, ad diuina confugit: venit ad noſtros ſup
plex medicinæ gratia, iuſſusq́. eas, quas dixi, cura-
tiones admouere, filiam mentis compotem ſanamq́.
reddidit. Eodem modo & à febri mulier alia, & ab
apoplexia deſtitutus iam pene ſenſibus famulus, &
alij ab alijs morbis ægrotationibusq́. curati. Spectri
etiam defuncti viri, qui nocturnis horis in eo ipſo lo-
co, vbi vita exceſſerat, comparebat, exorciſmorum
vis preceſq́. fugarunt. Quibus rebus diuina ope per-
fectis, mirum eſt, quam apud hos homines Societatis
opinio creuerit, id quod noſtri in obeundis concur-
ſandisq. pagis experiuntur quotidie. Quocunq. enim
peruenerint, tam gratis animis accipiuntur, nihil vt
eis vſpiam deſideretur ad victum. mittunt hoſpites
ad ſuos quiſque vicinos, vt eis ſignificent regios Sa-
cerdotes adeſſe (ſic enim pro ſua pietate nos vocãt)
confeſtimq. familiæ conuolant vniuerſæ, etiam ipſa
de nocte, nec modicis itinerum interuallis, vt vel pa
nibus rite benedicatur, vel baptiſmo luſtrentur in-
fantes. Alij autem vt ſuũ in nos amorem ſtudiumq́.
teſtentur, aurum, & quicquid neceſſarium eſt vitæ
vſibus, large deferunt: quæ tamen cum recuſantur
à noſtris, nullum faciunt admirãdi finem, laudandiq.
tã inuſitatã in ſuis regionibus abſtinentiã, ſuis quip-
pe aſſueti miniſtris, quos paratiores ad accipiendum
inue-

inueniunt quam largiendum.

Domi feſto quoque die in plateis Chriſtiana lex traditur: habetur per eam occaſionem ad populum cohortatio.prodit Sacerdos noſter in forum,vbi frequentiſsimos hominum cœtus animaduertit: tum cla ra voce precem orditur aliquam, vt rei nouitate plebs excitã concurrat. ea ratione ſæpe ducenti trecentiq. interdum etiam quingenti nudis capitibus, intentisq́. ad precem palmis Sacerdotem præeuntẽ voce ſequuntur.perſolutis ea ratione precibus, ſuccedit vel de matutina Euangelij lectione, vel alia pia de re perutilis diſputatio.ea peracta ducitur au ditorum agmen ad templum,atque ita cœtu vno dimiſſo,ad ſimiles deinde cœtus, conuentuſq. diſceditur. Hiſce rebus improba Lutheri ſoboles plane diſrumpitur,& maledictis pro concione nos onerat: ſed Miniſtrorum concionibus ſemper aliqui de noſtris interſunt,id quod eos maxime pungit, propterea quod non ignorant,illos eo conſilio ac mẽte ſummitti, vt ſua mendacia & maledicta redarguant. Non deeſt Cardinalis optimi vigilantia, quo minus eorum petulantiam inſolentiamq. coerceat. Concionatorem Eſtonicum,quod in Eſtones ſimplices, qui noſtrum templum adibant,petulantior eſſet, concione priuauit. hic de publicis vijs properantes ad templum Eſtones infami baculo abigebat: at illi alijs ad nos viarum flexibus ac diuerticulis euadebant. Denique ſpes eſt magna, ſi his principijs reliqua conſentiant, fore vt aliquando Regio hæc vniuerſa ab errorum labe purgetur. alit hanc ſpem tum fre-

quens

quens in templo noſtro concio, tum flagrantiſſimum Cardinalis ſtudium, qui in affectas Chriſtianæ Reipub. partes omni ope ſanandas incumbit.

## CRACOVIENSE ET CLAVdiopolitanum.

EST Cracouia princeps Poloniæ vrbs & totius Regni ſedes ac domicilium. In eam hoc anno noſtrorum ac præcipue Poſſeuini opera (id quod vehementer expetebatur) admiſſa Societas eſt. quæ res eo accidit gratior, quo fuerat ante ad impetrandum difficilior. Obſtabat enim Academia, quæ ex futuro, vt ſuſpicabatur, Gymnaſio, ne quid de ſua auctoritate atque exiſtimatione deperderet, metuebat: obſtabat ciuitas, quæ in D. Barbaræ templi, quod noſtris procurabatur, reditus ius habebat: obſtabant Sacerdotes ipſi, qui ſua in eo templo munera adminiſtrabant: Concionator quoq; Germanus aduerſabatur, qui ſtipendium ibidem & cathedrā obtinebat. Denique hæreticorum fæx vniuerſa, & ex Catholicis etiam primarij nobileſq; uiri. Quare Antonius re Deo precibus commendata primū ex Rege quærit, an ſi rem attentaret, ſaluo eam aliorum iure, ſaluo quoq. Societatis inſtituto perduci placeret ad exitū. Rex cum fidem dediſſet præſtitiſſetq., omnem ille rem mira felicitate tranſegit. Academici autem ueriti, ne quid ea res Academiæ iura minueret, ad Apoſtolicum Legatum Bolognettum adeunt. is qua fuit ſemper in noſtros beneuolentia,

ſua

ſua oratione & diligentia perfecit, vt ad extremũ manus darent. Nimirum elucet admirabilis in Societatem diuini numinis prouidẽtia, quam tum hæc, quæ dixi, declarant, tum quod frementibus aduerſarijs, repente eius Academiæ Rector extitit vir probitate ac litteris præſtans, qui rem ſecum ipſe perpendens per ſchedam moneret Antoniũ, ſibi vt rationes ſuggereret, quibus eos, qui Societatẽ minus norãt, euinceret: cui per Epiſtolã ſatis cumulateq. factũ eſt ab Antonio. Per idem tẽpus Thomas Plaza B. Stephani Parochus, qui quadriẽnium pene totum noſtros apud ſe retinuerat, epiſtolam ſcripſit Antonio, qua ſuæ illi Paræciæ templum vna cum ædibus deferebat, quod diceret neſcire ſe quemadmodum melius in poſterum ſuis eſſet ouibus conſulturus, quam ſi eas Societatis auxilijs præſidijſq. committeret. Rex quoque quo facilius res perduceretur ad exitum, ſchedulis identidem monebat Antonium, quid eam vel proueheret vel moraretur. Itaq. ſuperatis diuina ope difficultatibus, inita eſt â noſtris poſſeſſio templi, quam ſex è præcipuis Senatoribus vna cum Vicario Epiſcopi tradiderunt, coemptiſq. paulo poſt ædibus, in horreum Domini læta iam tũ meſſis inferebatur. His rebus geſtis in Tranſyluaniam properabat Antonius ad negotia Pontificia, & vt Societatis fratres eadem opera ſalutaret. Vbi propius ad Tranſyluaniam acceſſit, ecce tibi obuij â Tranſyluaniæ Principe Senatores cum plurima nobilitate, ab his ille perhonorifice exceptus, octo circiter millia paſſuum ad Principem Albam Iuliam

deducitur. Hic cum ad Collegium eo die diuertiſſet, poſtridie ad conuiuium Principis inuitatur. Huius autem Principis ea eſt maieſtas, vt ei præter Tranſyluaniæ præfectos, quingenti perpetuo milites corporis cuſtodes adſint. Hic igitur è ſuis ipſe deſcendens ædibus venientem excepit Antonium eumque vel reluctantem ſiſtere conatus ad dextram (ſcilicet ob Pont. Max. nomen a quo mittebatur) in cubiculum ſuum adduxit. Egregium ſane ſpectaculum, puerum videre decennem tanta maturitate & grauitate ſeſe gerentem, cum vel Pontificiæ litteræ redderentur, vel ſummi Pont. nomine frequenti nobilitate loqueretur Antonius. Hic Antonius Greg. xiij. erga eam Prouinciam ac nobiliſſimam Batoreorum familiam charitatem commemorat, hic pij Pontificis voluntatem exponit de vltima Chriſtianarum Prouinciarum arce tuenda, hic eiuſdem operam ad rem Chriſtianam ſartam tectam tuendam liberaliter offert. Hæretici, qui aderant ſiue Lutherani ſiue Caluiniani, ſiue etiam Arriani, quorum pleriq. miniſtrorum maledictis ſunt aſſueti, cum de Romano Pont. cernerent omnino diuerſa atq. antea audierant, mutuo ſe ipſi reſpicere, & Antonium mox proſequendo vereri. Valuit ea res plurimum tum ad reprimendos eos, qui aduerſus noſtros licẽtius debacchari conſueuerant, tum ad commendationem Societatis noſtræ, cuius ſciebant opera effectũ eſſe, vt bellum Moſchouiticum ad optatum exitum perduceretur. Ad prandium vbi ventum eſt, Princeps ipſe eo die, qui

erat

*erat illi natalis primam à Romano Pontifi. legatio-
nem ſuſcepit, atq. in Antonij accumbentis aurem
nſuſurrans, Quam doleo, inquit, iſtos quos hic vides
ccumbere, hæreticos eſſe: Senatores videlicet de-
cribebat. Cumque identidem in conuiuium fercula
nferrentur, nonnullaque incocta butyro; ad An-
onium conuerſus Princeps, licetne, inquit, Pater
is Quadrageſimæ diebus iſta comeſſe: Niſi Chri-
ſtus, inquit Antonius, vt nobis eſſet exemplo, ſi-
mile ieiunium ſeruaſſet, eiuſq. auctor & inſtitutor
uiſſet, quidni liceret? Nunc quando exemplar vi-
æ noſtræ ſe præbuit, & hoc ipſum ieiunium Euan-
gelio conteſtatum eſſe voluit, ipſiq. Apoſtoli & Ec-
leſia eius vniuerſa integerrime ſemper coluit, quis
lubitat, niſi valetudinis ratio ſecus exigat, Quadra-
eſimam eſſe ſeruandam? Eſt omnino, quod de tan-
o Principe Catholicæ gratulemur Eccleſiæ, erga
uam ſic eſt animatus, vt omnia nobis præclara
olliceri de eo merito debeamus. Is cum apud An-
onium parantem reditum, quaſdam ſanctorum
eliquias & Crucem vidiſſet argenteam, equidem,
nquit, Pater nihil mihi ipſe cupio, ſed quando ni-
il iſtorum nobis hæretici reliquerunt, crucem hanc
uæſo, non mihi ſed Catholicorum Eccleſiæ con-
ede. Antonius & hanc & alia pia munera per
benter conceſſit. atque ita Claudiopolim rediјt.
Hic data eſt opera vehementer, vt Arriana labe
ontaminata Ciuitas, noſtriſque mirifice infenſa, do-
nicilium Seminario excitando tribueret. Confe-
unt in eam rem & Pontifex & Rex annuas vter-*

que penſiones. Antonius itaque conducta dom
ſexcentiſque aureis á Summo Pontifi. toti-
demq. á Rege relictis, & præfectum Se-
minarij conſtituit; & libros ad
pietatem ſuſcitandam ſa-
tis multos reli-
quit.

# PROVINCIA AVSTRIA.

*AVſtriæ Prouinciæ ſocij in quinque diſtributi Collegia fuerunt hoc anno quatuordecim & ducẽti. Viennæ ſeptem & quadraginta. Pragæ quatuor & triginta. Totidem Brunæ. Olomucij duodequinquaginta. Græcij vndequadraginta. In peregrinationibus obeũdiſq. pagis duodecim ferè verſantur. Octo in noſtrum ordinem ingreſsi ſunt: ſexdecim obierunt.*

## VIENNENSE COLLEGIVM.

*VIennæ fœda peſtilentia laboratum eſt. Ea fuit cauſſa cur inferiores ſcholarum ordines, quibus tenera ætas plerunque dat operam, tantiſper occluderentur, dum incolumitas vrbi rediret. Superiores vero nihil de docendi conſtantia ac conſuetudine remiſerunt. Nec tamen periculorum noſtri fuerunt expertes. Nam cum quendam repentina lues è conuictoribus inuaſiſſet, ſenſim manauit ad noſtros; è quibus cum tres quatuorue magno cum periculo laboraſſent, vi morbi diuino munere ſuperata, ad ſua quiſque officiorum munera reuerterunt. Itaque præter illum adoleſcentem, vnde mali fons extitit,*

*deſideratus eſt nemo, id quod in miraculis numeramus. nam cum in ijs, quos infecerat peſtilentia tum ſolandis tum expiandis noſtri verſarentur aſsidue, ab ea tamen intacti redierunt. Nec vero in tantis malis animarum cauſſa deſerta eſt. Hæreſim centū amplius ac triginta noſtrorum monitis abiecerunt: in his vir quidam pereruditus repētino morbo perculſus, vix vt biduum ſibi polliceretur ad vitam, confitendis rite culpis eiurandaq. hæreſi, quicquid erat morbi, facile propulſauit. Vir quidam non multis ille quidem litteris eruditus, ſed ingenij plenus, & linguarum varietate locuples, à Catholicis ad Lutheranos, ab his ad Caluiniſtas, atque inde ad Anabaptiſtas inconſtantiſsime ſe conuertit: Anabaptiſtæ autem, qui proxime vagum hominem dubiumq. receperant, ingenij celeritate perſpecta ornamentiſq. linguarum, magnam in ſpem venerant, breui ſe eum habituros eſſe ſuæ ſectæ magiſtrum. itaque ſuis illū ſacris initiant, eiq. vxorem de more tradunt. At vbi in diſputando quæſtiones eius ſolidiores, quam quibus reſpondere poſſent animaduertunt; nec ille tamē niſi explicatis rebus ſolutisq. quieſceret, hominem è Synagoga pulſum vxore priuant. Is cum ad ſuos redijßet Viennamq. poſtea veniſſet, agnitus eſt à multis, & pro hæretico habitus. Placuit immenſæ bonitati Dei, vt ſimul ac agere nobiſcum cæpit, ſenſim noſtrorum conſuetudine delinitus, quāto in errore verſaretur, agnoſceret. itaq; patefactis confeſsione peccatis, non ſine acri dolore gemituq. hæreſum multitudinem eiurauit. nunc eam orſus eſt vitam, vt quo-*

ti es

ties ſibi anteacti temporis venit in mentem, lacrymas non cōtineat. Quidam etiam, qui ſyngrapha ſuo conſcripta ſanguine malo Dæmoni ſe deuouerat, vna confeſſione culparum à tam crudeli tyrannide ſe redemit. Alius quem conſcientiæ ſcelerum ſtimulabant, ſpectrorumq. monſtra terrebant, tandē anteactæ vitæ confeſſione & ſpectrorū fœditates abegit, & turbatum animum tranquillauit. Iam qui foras animarum cauſſa diſceſſerant, ne ij quidem redierūt inanes. Finitimo in oppido reſtituerunt Eccleſiæ ſeptem & viginti. In alio item oppido ſeptuaginta, aliosq. in alijs, vbi confitentium ea vis fuit, vt bene apud eos collocata opera videatur.

Data eſt hoc anno Tragicomædia quædam B. Martyris Euſtachij, quæ quoniam varios & ancipites vitæ caſus tēporumq. viciſsitudines continebat, nihilq. conſtans eſſe docebat in rebus, niſi quod eſſet cum immortalitate coniunctum: magno ſcilicet adiumento fuit honeſtiſsimæ celeberrimæq. coronæ. ſpectaculū honeſtarunt lectiſsimi principes, præcipueq. Carolus Archidux, & ex omni nobilitate primarij.

## PRAGENSE COLLEGIVM.

AB hæreſi ad Catholicam religionem ſex ſunt hoc anno & quinquaginta conuerſi. Illuſtris femina quanquam inter hæreticos educata, mortis tamen aduentante periculo, ardenti Sacramētorum ſtudio Sacerdotem accerſit; ſed cum per parentes & amicos Sacerdotis copia non fieret, ſchedulam ad eā

ipſe Sacerdos dedit, quam ſibi recitari cum iuſsiſſet, breui conualuit. quare voto facto venit ad ædem noſtram, ibi Catholicorum moribus inſtituta, animiq. maculis per confeſsionem abſterſis, palam ſuos ipſa errores hæreſesq. damnauit. Anglus etiam iam ætate prouectus, litteris nobilis doctrinaq. præſtanti, è patrijs ſedibus huc profectus, obteſtari nos per Deum cæpit, vt ſibi liceret verum effici Chriſti membrum; itaque peccata rite confeſſus, & de more hæreſim deteſtatus, inter Eccleſiæ membra connumeratus eſt. Alius ære alieno contracto diu in vinculis habebatur: is cum ad ſui miſsionem nihil vnquam à ſuis exorare potuiſſet, à Catholicis autem potuiſſet, argumentatus ex eo eſt, quantum demum Catholici cæteris antecellerent, qui calamitoſis ſubſidio venirent. ergo ſine mora noſtros accerſit, eiq. ſe religioni, quam tantopere probaſſet, addicit. Sed præcipuo ſtudio ijs eſt adhibita conſolatio, quos inſecuta calamitas eſt. Auguſtiſsimi Chriſti corporis ferijs dum de more ad ſupplicationem populus coit, acerbum excitatur incendium. eo incendio ædes prope quadraginta cum æde ſacra funeſto ſpectaculo conflagrarũt. Miſſus eſt ad eos ſolatij cauſſa Sacerdos, qui paucis diebus omnium animos ſic erexit ac confirmauit, vt non modo nihil de priſtino Euchariſtiæ ſtudio cultuq. remiſerint, ſed eius nomine præcipuã quandam ſodalitatem inſtituerint. Domus ad leuandam quorundam diſcipulorum inopiam, annis inſtituta præteritis, & alumnorum numero, & fortunis eſt aucta. Cum enim antea ducenos dumtaxat aureos

reos quotannis Summus Pontifex aſsignaret, hoc anno adiunxit ſe ſuperſtite quadringentos. Nec deſunt alij viri nobiles, qui huic domui tum benigne faciant, tum de perpetuo firmanda vectigali laborent. Admiſsi ſunt in hunc numerum hæretici duodeviginti, omnesq. ad vnum euaſere Catholici. Ad Societatem autem vni tantum aditus patuit. Magna eſt Dei beneficio apud nobiles Societatis exiſtimatio, id quod indicant eleemoſynarum crebra ſubſidia. Hoc anno impetratum eſt demum, vt in ſummo ac pleno totius regni concilio, ipſo quoque Imperatore conſentiente, confirmatio priuilegiorum Collegij noſtri, maiore cum amplificatione perpetuaque donatione prædij, in Boemiæ regni tabulas adſcriberetur: id quanquam ſæpe noſtri tentarunt, nunquam tamen à Collegio condito, hoc eſt ab anno ferme trigeſimo impetrare potuerunt. ita vt tanto maior Deo habenda ſit gratia; quanto difficilior res fuit ad impetrandum. E concurſandis obeundisque pagis non parua ad animas vtilitas redijt. Oppidum eſt, Praga non longe diſtans, vbi mira erat rerum diuinarum inſcitia: complures iam ſeptuagenarij ne dominicam quidem precationem tenebant. quibus tamen, propoſitis pœnis, ita conſultum eſt, vt breui quæ neceſſaria viderentur ediſcerent. Dederunt ex eo numero in Eccleſiam nomina amplius ſex & viginti: in alio vero oppido circiter octingenti. cunctusq. Senatus cum alijs octoginta, Sacramentum confeſsionis obiuit.

## OLOMVCENSE COLLEGIVM.

*OLomucij dum morte mulctandos noſtri confirmant, octo induxerunt hæreticos, vt hæreſim quoque cum vita ponerent. Quidam autem ex ijs, quos carcer tenebat, poſtquam ſacra confeſſione, quæ annis viginti cælauerat, patefecit, non ſine Dei ope nutuq. cui vota fecerat, publicas cuſtodias euaſit: & quidem extremo ſupplicio ſcelerum ſocijs affectis, quos improbitate longo interuallo ſuperabat. Ad eos, qui morti proximi ſunt, ſupremũ Chriſti viaticum, ſi quando opus eſt, ſtudioſe defertur. Femina pietate præſtans animi maculis rite deterſis, dum Euchariſtiæ viaticum ſuſcipit, animam feliciter egit. Ciuis vero attritis diuturno morbo viribus (nouem enim ipſos annos perpetuo ægrotauerat) Sacramentis rite perceptis remiſſoq. hæreſi nuntio, & corpori medicinam fecit & animo. Hæc, quæ diuinis non humanis opibus perficiuntur, ciues frequenter impellunt, vt ad nos ſuis quiſque temporibus, vel conſilij vel medicinæ cauſſa confugiant. Nonnulli ſuas ædes noſtrorum opibus ac remedijs, dæmonibus infeſtas domeſticis expiarũt. ex ijs vnus qui coctis lateribus obuium quemque petebat, luſtrali aqua ſacriſq. carminibus aufugit. Ab hæreſibus varijſq. erroribus, ad Eccleſiam Catholicam amplius quadraginta animum adiecerunt. Foris etiam varijs locis diuini verbi ſemen mãdatum eſt, effectumq. quadam in vrbe, vt cantus Boemicus &*

*Miſſa*

Miſſa citra conſecrationem ſiue Huſſitica tolleretur. Inſtitutumq. vt matrimonium ac nuptias, confeſſionis & communionis ſacramenta præcurrerēt: hæreticorum porro erepta volumina: eorundem antiquata baptiſmata, & alia alibi perutiliter acta.

## DOMVS BRVNENSIS & Græcenſe Collegium.

PEſtis contagionem, quæ extremo anno proximo ſerpere leuiter ac remiſſe cœperat, æſtate ineunte inuſitatæ conſecutæ ſunt febres. has viciſſim excepit noua contagio: ægrorum plena erant omnia. & primo quidem abſumpti de noſtris morbo ſunt tres: ſed vt fœdioris ſtragis cauſſæ remouerentur, alijs alio ad ſalubriora loca dimiſſis, perpauci duntaxat, ijq. neceſſarij relicti ſunt domi. Octobri ineunte ex hoc pauco numero, Collegij miniſter dum animarum vindemias colligit, quæ quidem id temporis erant vberiores, eadem contagione morbi conſumitur. Hic triduo ante de obitu ſuo Rectorem admonuit, quem leni riſu cum Rector exciperet, confirmauit ille, duobus ante menſibus ſibi ſignificatum eſſe de morte. itaque noxis animi rite deletis, primo & altero die religioſe ſacrificauit, biduoq. poſt, intētis in cœlum oculis, dum oraret, extremum ſpiritum Deo reddidit. Videlicet bonitate præſtabat, qui tali exitu vitam clauſit, erat Deo valde coniunctus, mirum eius in Superiores obſequium, mira legum cuſtodia, flagrans & in Deum & in proximos cari-

caritas, vt iam omnia tẽpeſtiua illi eſſent ad mortẽ. Hunc biduo triduoue conſecuti ſunt alij duo: nec ita multo poſt ipſe quoque Boemicæ & Germanicæ linguæ concionator: ita vt in unum Rectorem totum rerum gerendarum pondus incumberet. Interim uis morbi alios atque alios deinceps grauiter uulnerabat, omninoq. undecim interemit. Nunquam tamen peſtilentia graſſante diuinus intermiſſus eſt cultus. Præter reliquas conciones, quæ feſto quoque die tribus fere locis habitæ ſunt, concionati ſunt noſtri diuerſis etiam in pagis. Summa autem tum animarum neceſſitas, tum principum uirorum contentio fecit, ut multa oppida luſtrarentur. nam & infantes ſine baptiſmo, & ægri ſine pœnitentia ſineq. uiatico decedebant; itaque ea fuit animarum ſeges, ut nouitij quoque non pauci, quantum eorum diſciplina patitur, plenos manipulos reportarint. Interim Deus Opt. Max. mercedis loco ſuos uoluit famulos uarijs calamitatibus exerceri. Fremebant hæretici, quod à noſtris Catechiſmũ homines non Catholici docerentur, & tanquam in inſidijs, qua tranſeundum erat ſe collocabant, minaſq. intentabant atroces, ſi ad ſe iterum reuertiſſent. Non nunquam uero aduerſata eſt eis hyems, coactiq. ſunt ſæuiente frigore nudis pedibus, aut collectas è crebris inundationibus aquas, aut altas paludes uado tranſmittere. Longum eſſet ea perſequi, quæ Dei cauſſa domi foriſq. ſuperata ſunt. cum alij fundos noſtros inuaderent, alij mendacijs atq. calumnijs famæ noſtræ tenebras conarentur offundere. Verum, qui

potiſ-

*potiſſimum calamitatis eſt fructus, ſemper ad nos plus commodi, quàm incommodi redundauit.*

*GRAECII coniunxere ſe Catholica cum Eccleſia non pauci. Nobilis adoleſcens cum ex cæde pænam capitis incurriſſet, antequam plecteretur, ſignificauerat noſtris uelle ſe ritu Catholico animi labes abluere, poſtea ſuorum fraude deceptus conſilium mutauit. aiebat, in qua religione natus eſſet, in ea ſe uelle mori, ſibique exploratam iam eſſe ſalutem: & cum deceſſiſſet, affore Chriſtum qui prehenſa dextra, ſe in beatorum loca perduceret. Præcipuus hæreticorum miniſter laqueos adoleſcenti tetēderat: is ut in errore perſeueraret, effecerat: ſed pertinaciæ medicinam fecit extremi ſupplicij metus, vt enim mittendus fuit ad mortem, ſtatim ad deliberandum ſupplicij moram flagitauit, quam cum impetraſſet, poſtea confeſſus eſt & communicauit. Alius è prima nobilitate adoleſcens, quod contra parentum uoluntatem ad Catholicos abijſſet, fortunis omnibus ſpoliatus, ita tulit hoc uulnus, ut in ſumma rerum inopia parem animi magnitudinem ac moderationem præſeferret.*

PRO-

# PROVINCIA GERMANIAE. Superioris.

HVius prouinciæ ſocij in nouẽ diſpertiti ſedes ducenti fere ſunt ac duodecim. Ingolſtadij quatuor & quinquaginta. Dilingæ quatuor & viginti. Monachij ſex & viginti. Oeniponti quatuordecim. Totidem Friburgi. Vno minus Halæ. Lucernæ ſexdecim. Auguſtæ viginti. Landſpergæ triginta. E vita migrauit vnus. Recepti Societate quatuor & viginti.

## INGOLSTADIENSE, ET Dilinganum.

INgolſtadienſe Collegium adſciuit in Societatem quatuor. Societatis vero meditationes ex externis obiere primarij, & in his Abbas nobilis, & Concionator, qui hoc conſilio venerat Ingolſtadium. Confitentium & communicantium numerus pro regione ſat magnus. Ab hæreſi quinque & triginta ſunt abſoluti, veniuntq́. certis anni temporibus ex hæreticorum regionibus, qui catholico more ſe expient. quo in numero quidam non ſine ſingulari di-

uinæ

uinæ miſericordiæ munere è dæmonis faucibus eſt ereptus. Erat huic magicus liber, in quo cum alia multa tum conficiendæ pecuniæ ratio continebatur: id vbi reſciuit concionator, cuperetq. (vt eſt inſatiabilis hæreticorum auaritia) rem ſuam augere, huius vxorem clam conuenit, perſolutoq. precio libellum aufert. tamẽ vim poteſtatemq. libelli primus periclitari non auſus, accepto à ruſticis duobus argento, copiam eis libelli facit ad tempus. ruſtici diuerſorium ingreſsi, dum ea de re inter ſeſe colloquuntur artis ignari, ecce tibi humana ſpecie dæmon artem profitetur ſe facile traditurum, modo ſe ſequantur in ſyluam. ſequuntur quo imperatur, & ex condicto venitur in ſyluam; ibi membranam dæmon porrigit, iubetq. eos ſuo ſanguine ſuum in ea nomen inſcribere. cum alter paruiſſet, dæmon ea quaſi præda contentus nuſquam amplius apparuit. Concionator de re certior factus, metu perterritus fugam cepit. is vero, apud quem diximus artificioſum fuiſſe libellum, ad nos ſe contulit, peccataq́. cum dolore confeſſus veneficis ſuas artes ſibi habere iuſsit. Sodalitium Dei matris & pietate viget & numero. Plurimi per eos dies, qui anniuerſariæ Chriſti neci dicati ſunt, ſeſe ante eius ſepulchrum verberibus cecidere: & id ipſum ad diuerſa vrbis templa ac ſepulchra, ſuo quiſque induti cucullo, fecere nonnulli. Septembri menſe factum eſt ſcholarum initium, in recenti pulcherrimoq. gymnaſio, quod nobis pro ſua egregia liberalitate Gulielmus Bauariæ dux excitauit: Rhetoriceſq́. explanatio, quæ ante deſiderabatur, adiun-

cta

ćta.exhibita etiam de Abſalone tragædia nobili ſpećtante corona, cum humanitatis cauſſa gymnaſium recens inuiſeret.

DILINGAE Societate donati ſunt quindecim, in iiſq. nonnulli nobiles, quos ipſi propinqui Societati dicarunt. Ab hæreſi ſunt abſoluti complures. ex eo numero mulier cũ ab extremo periculo non procul abeſſe putaretur, Catholicis inſtituta præceptis, poſtridie & ab hæreſi, & à morbo ſimul eſt expedita. quæ res vehementer tum ipſam, tum eius virum, qui à pueritia hæreſim hauſerat, confirmauit. Alius Catholica à nobis religione ſuſcepta, in patriam reuerſus maluit de bonis patriis, quàm de ſententia decedere. Septem virgines, quæ luere apud nos peccata confeſſione ſueuerãt, in ſacrarum virginum collegia cooptatæ ſunt: Nec defuerunt. qui confeſsionis præſidio ſeſe & ab animi & à corporis periculis vindicarint.

MONACHII ſuus quoque labor datur hæreticis. Marchio quidã clarus genere & Anabaptiſta, cũ diu iam in perfidia obſtinata mente perſtaret, etſi contumelioſe initio, qui de religione ſecum agerent, repellebat; poſtea tamen noſtrorum delinitus obſequiis ac patientia, Catholicam religionem magna omnium admiratione ſuſcepit. Duo Iudæi patriis bonis vxoribuſq. contemptis, in aula gymnaſii noſtri baptizati ſunt. Ablutus eſt etiam Rhodius quidam in nobili illa apud Echinadas victoria captus, celeberrimo nobilitatis conuentu. Illuſtriſsimus Bauariæ dux rem noſtram promouere non intermittit. Parentem

filius

filius natu maximus imitatur. is cum è ſodalitate ſit Dei Matris, in eaq. reliquis ſodalibus ſit præfectus, fratrem ſuum Ratisbonenſem Epiſcopum in eandem ſodalitatem adlegit.

## OENIPONTANVM, LVCERnenſe, & Friburgenſe.

OEniponti complures per Confeſſionis Sacramentum alij à morbis, alij à perſpicuis periculis, alij etiam ab infernis monſtris, ſpectriſq. liberati ſunt. Hic quoque multos ab hæreſi ad Catholicam religionem noſtri traducunt. Erat in eo numero Sacerdos, magna apud quoſdam hæreticorum duces auctoritate. hic etiam tum cum in hæreſi verſabatur, eximio quodam pietatis ſtudio erga Beatam Virginem tenebatur, vt minime mirum videri debeat ſi è fæcibus demum emerſit, qui tantæ patrocinio Virginis nitebatur. is poſtea grati animi cauſſa ad ædem Lauretanam, nullo viatico nullo itineris ſubſidio profectus eſt. Oenipontani ciues valde propenſi videntur in nos, quantum ex oblatis templo muneribus tum crebris tum copioſis conijci licet.

LVCERNAE hæreſim eiurarunt duodetriginta. Sácramentorum conſuetudo vt in tali ciuitate ſat frequens. Confeſſionis autem conſilijq. cauſſa de longinquis etiam locis, multi concurrunt. Vir quidam, cum deformi dæmonum vexaretur aſpectu,

repetitis à prima ætate peccatis, ipſo confeſſionis ſacramento ſeſe & à ſcelerum ſeruitute, & à moleſtia dæmonum vindicauit. Alium item cum deſperatio vehemens ipſum iam triennium vrgeret, eadē ſe medicina ad æquitatem animi reuocauit. Atque ex hoc genere plures fuere, quàm vt enumerandi videantur omnes. Aegra mulier eiuſdem ſacramenti vi, eodem die in integram valetudinem reſtituta eſt, poſtridieq. omnium cum admiratione, Chriſti corpus accepit. Vitioſæ præterea conſuetudines ademptæ ſunt. nam cum ipſo quoque Quadrageſimæ tempore perſonati homines baccharentur, interpoſita Senatus auctoritate perfectum eſt, vt mos ille barbarus tolleretur. Idem Senatus, vt qua in Societatem ſit beneuolentia teſtetur, cum de noſtris falſos quoſdam ſpargi rumores accepiſſet, auctorem illico comprehendi iuſſit, eumq. præter pecuniariam multam, frequenti concione coegit, quæ temere de noſtris effuderat reuocare. ac niſi noſtrorum intercederet deprecatio, multo peius cum maledico actū eſſet. Luſtrata ſunt cœnobia non ſine magna vtilitatis ſpe: & in eorum vno, cœnobitarum eſt excepta confeſſio, idemq. in tribus cœnobijs mulierum factitatum. Verberationum ciliciorumq. vſus in earum mores inuectus, tantumq. in re illa perfectum, vt in multis fræno ſit opus: inuenta eſt enim, quæ ſemeſtri ſpatio ſingulis ſe noctibus verberaret, nam quæ octauo quoque die in ſeipſas animaduertant, ferè ſunt omnes. Hæc & alia in Chriſti gratiam Lucernæ ſunt acta.

FRI-

FRIBVRGI præter Gallicas Germanicaſq. con-
iones,tribus in vrbe locis traditur Catechiſmus.
Atque vt intelligatur,quàm plenus hic futurus ſit
ger;intermiſerat certis de cauſſis conciones vnus
noſtris, quod cum populus cognouiſſet, ratus id
ccidiſſe, quod ſæpe de confeſſione communioneq́.
ppellatus non paruiſſet, mittit illico,qui conciona-
orem roget,à ſuſcepto concionandi munere ne deſi-
tat. nam obſequentem ſi minus ante ſe præbuiſſet,
ore vt in poſterum errata corrigeret. Quinque cir
iter & triginta, hæreſum ſoluti ſunt nexu. Aucta
ſt pœnitentibus ſacra ædes,eiuſq. rei cauſſa vel ex
æreticorum regionibus huc contendunt. Ea eſt au-
em aliquorum pietas aduerſus religionem Catho-
icam,vt quidam Magiſtratui hæretico mille libras
nnuas,hoc eſt aureos amplius 200.vt per eum ſibi
iceret feſto quoque die ſacris adeſſe, ſpoponderit.
euocata eſt etiã longo interuallo conſuetudo quæ-
lam ſalutaris,vt ſub initiũ quadrageſimæ,fidei pro-
eſſio ex inſtituta concilij formula non à ciuibus mo-
o,verum etiam ab aduenis exigatur.id quod Sena-
us auctoritate perfectum eſt.

Auctum eſt Gymnaſium humanitatis ſchola,nu-
nerantur q. inter Auditores religioſi complures,
l quod in his locis perrarum perq. mirum eſt.

## AVGVSTANVM COLLEGIVM.

OBijt in Auguſtano Collegio Sacerdos, & ſu-
ſceptis pro Chriſto laboribus, & Societatis

*antiquitate præcipuus. is fuit Theodorus Peltanus, qui annos duos & triginta in hac familia tranſegit, in eaq́. partim docendo partim ſcribendo, nullum tempus à laboribus vacuum habuit. Templum plurima amicorum liberalitate nitet. id vſquequaque abſolutum, ſumma cum ceremonia conſecratum eſt: in eodemq́. noſtro Collegio datum à Fuggherorum familia illuſtrioribus ciuibus epulum, habitaq́. à noſtris pro agendis tum eidem meritiſſimæ de nobis familiæ gratijs; tum reliquis Societatis patronis, oratio. Iam pœnitentium celebritas pro ciuitatis amplitudine. & celebritati par fructus. Vir quidam affecta ætate, cum Auguſta quatridui itinere peregrinaretur, febriumq́. abſumeretur ardoribus, hoc dolebat vnum, quod procul à patria, procul ab vxore cariſq. liberis moreretur; in ea cogitatione verſanti, ex occulto miſſa vox dicitur, qua monebatur, ſi ſaluus eſſe vellet, vt Auguſtam vſque contenderet, peccataq́. ſua apud Ieſuitas noua quadam in æde confiteretur. ſed cum id viſum pro nihilo duxiſſet, propterea quod nec templum illud nouum vidiſſet vnquam, nec quod genus hominum eſſent Ieſuitæ cognoſceret, iterum ac tertio vox eadem extitiſſe, addidiſſeq́. non defuturos, qui ei Ieſuitarum templum indicarent. tum voci fides ab ægro habita, conceptoq́ue voto ſanus illico ſurrexiſſe, & magna ſua cum voluptate apud nos animum expiaſſe. Nec illud miraculo vacat. Nobili adoleſcenti cum ſanguinis curſus è naribus, nulla medicorum arte reprimi poſſet, ob eamq́. rem certum putaretur adire diſcrimen,*

ſtatim

ſtatim à peccatorum confeſſione conſtitit ſanguis. Duo & viginti patrias hæreſes prauaſq. opiniones, cum vera & conſtanti Catholicorum diſciplina commutarunt; confirmatiq. ſunt multi, quorum non conſtabat in religione ſententia. Duobus re domeſtica laborantibus, cum recentes atq. aſperos nummos diabolus obtuliſſet, pluraq. ſi ſibi parere vellent, copioſe promitteret, ab eo ſeſe vterque non ſine noſtrorum ope liberauit. Venio ad ea quæ Gregoriani Calendarij cauſſa Societas indigne pertulit. Erat enim hæc vulgo de noſtris opinio, eos ad reſtituendum Calendarium non modo Romanum Pontificem induxiſſe, ſed ad amplectendum, ipſum quoque Senatum permouiſſe. Anno itaque M. D. LXXXIII. Calendarium Summi Pontificis auctoritate correctum ac caſtigatum, ſimul ac à Senatu non ſine Imperatorio decreto promulgatum eſt, ingens fuit armorum materia. Initio quidem incitata eſt ab hæreticis concionatoribus multitudo, ſic, vt nullum de nouo Calendario verbum fieri pateretur. Ex eo tempore magnus in ciuitate tumultus, magna ſeditio. Priuati ſuis in ædibus armorum præſidia contra vim ac manum comparabant: Senatus milites conſcribebat: Ciues Senatui, niſi noſtros ciuitate pelleret, ædes diſturbaret, decretumq. de Calendario retractaret, extrema quæque minitabantur. denique perturbata erant omnia, omnia plena periculi, plena formidinum. Anno, qui conſecutus eſt, etſi iam non nihil prudentiſſimi Senatus vigilantia furor populi deferbuerat; Quadrageſima tamen ineunte, nouis

*lanij excitarunt incendium. ij hæretici ſunt fere omnes, numero amplius ducenti. Tota igitur quadrageſima, ne quis Calendario nouo pareret, contra leges, contra conſuetudinem, carnes de macello vendere, Paſchate vero, quod ad reſtituti anni rationem peragebatur, tabernas occludere non dubitarunt. Alebatur laniorum audacia concionatorum improbitate, modo vt viriliter ſe gererent cohortante, modo minis atrocibus territante. Sed nimirum egregias ſuæ contumaciæ dedere pœnas: tantum enim abeſt, vt improbiſſimis conſilijs Senatui boniſq. omnibus quicquam obſuerint, vt cum Senatus ad celebrandum colendumq́. Paſcha aliunde ſibi de carnibus proſpexiſſet, rigidam ipſi quadrageſimam agere ſint coacti. Nam nec â ſuis carnes id temporis vendebantur, nec ex alijs, quas Catholici aduexerant, hoc eſt ex Ieſuiticis (vt ipſi loquebantur) audebant attingere. erat autem hæreticis id ſolemne, vt quicquid ex nouo Calendario faciendum omittendumue præſcriberetur, id Ieſuiticum appellarent. Non hic turbarum exitus fuit. Quinto Calendas Iunij iubet Senatus pro Curiæ foribus edictum de Calendario proponi, præconiſq. voce propalam denunciari, hanc ipſius eſſe ſententiam. Vti Calendarium nouum á Summo Pontifice reſtitutum in poſterum tempus adhibeatur. Hæreticorum Miniſtri vbi rem ſerio agi animaduertunt, ſuos quoque conatus & artes admouent: concione coacta, Senatus damnant edictum, populoq́. vt Calendarij lex abrogetur, omni ope & contentione ſuadent.*

dent. Senatus ad id tempus mitior, tam proiectam effrænatamq́ue audaciam diutius non ferens, de communi ſententia decernit, vt Miniſtrorum dux, turbarum omnium ſeges ac fomes, extrudatur ex vrbe. Id cum fieret, vociferantibus è ſuis tectis hæreticis, ingens illico è plateis armatorum manus accurrit. Strictis gladijs equorum præciduntur habenæ: Miniſter, inuito Senatu, de curru detrahitur, in proximaſq́ue ædes abripitur. ibi cuſtoditus à ſuis poſtero die muliebri veſte (vt fama fuit) ne agnoſceretur indutus, ciuitate denique ceſſit. Auxit in præſentia tumultum concionatoris exilium. Clauduntur portæ; militum præſidia cum ducibus inſtruuntur: curia intus foriſq́ue munitur: plateæ complentur armatis; ac ne coeant, vt in periculis fieri conſueuit, cratibus ferreis demiſſis, partes oppidi ſecluduntur. Ita noſtri, qui intra mœnia quidem, ſed tamen in vrbe veteri, quam appellant, habitant, omni Senatus auxilio, omni bonorum ope deſtituti, nunquam maius adiere diſcrimen. Ecce tibi conferta hæreticorum turba, furore amens, noſtram cogitur ante plateam. Nos obfirmatis occluſiſque foribus, quoniam nulla erant humana præſidia, in Deo vno ſpes noſtras figimus ac locamus. Hæretici domum noſtram ſpeculari vndique, aditus omnes curioſe luſtrare. quidam per feneſtras gladios haſtaſue torquere, alij per ſummam licentiam contumelias & maledicta iacere, nonnulli ignem ædificijs continentibus admouere, vt eodem noſtrum conflagraret incendio. Acceſſerunt

*poſtremo qui contignationes diruerent, vt eadem ruina noſtros opprimerent. Sed tamen aggreſſos deterruit vetula quædam, quod diceret milites ſe vidiſse quingentos, à Bauarico duce miſſos in cuſtodiam præſidiumque noſtrorum. Et ſane tota Auguſta peruagatus eſt hic rumor, trecentos milites apud nos eſse. quæ ſuſpicio fortaſſe hæreticorum furorem à noſtrorum vitis tectiſque continuit. Res in miraculis eſt habenda, homines qui toto anno nihil aliud agitauerant, nihilque aliud in conuentibus circuliſque iactarant, niſi quemadmodum male perderent Ieſuitas; eo die non modo quenquam eorum non ſpoliaſſe vita, ſed ne aſperius quidem lædere auſos eſſe. Subductis denuo cratibus, ad inſequentem vſque diem, vrbis præfecti aliique ad nos patroni miſerunt, qui vicem noſtram dolentes tum nos officioſe conſolarentur, tum ſtudioſe perquirerent, an aliquid nobis grauius ab improbis accidiſſet. Longum eſſet enumerare, quæ conſequentibus octo diebus experti ſunt noſtri, tum cum obſeratis ſemper foribus extrema omnia in horas ſingulas expectabant; cum infames ſpargebantur tota ciuitate libelli, cum multa de ipſis ad imperatorios miniſtros falſo deferebantur. Et tamen in tantis fluctibus non ſine tum hæreticorum admiratione, tum Catholicorum ſolatio nunquam intermiſerunt, vel ſacra peragere, vel de more confeſſiones excipere; vt qui ſpem ſuæ defenſionis ac patrocinij non in hominibus ſed in vno Deo tutiſſimo innocentiæ perfugio collocarant.*

rant.

rant. Eoq́ue duce ac defenſore eundem ſemper curſum tenuere, eodemq́ue ſtudio ac volun-tate, etiam num in animarum cauſſa verſantur.

PRO-

# PROVINCIA RHENI.

AMplectitur Rhenus domicilijs vndecim ſocios amplius trecentos. Colonienſi Collegio triginta. Treuerenſi quatuor & ſexaginta. Moguntino duos & quinquaginta. Herbipolenſi duos & quadraginta. Spirenſi ſeptendecim. Fuldenſi duodetriginta. Heiligenſtadienſi quatuordecim. Molsheimenſi triginta. Confluentino denique ſexdecim. Accedunt, qui in Paderbornenſi & Luxemburgenſi ſedibus cõmorantur, quarũ hæc tres, ſex illa complectitur. Ad Societatem vocauit Dominus ſeptem & viginti: ſex autem, vt ſperamus, in cœlum.

## COLONIENSE COLLEGIVM.

E Colonienſi gymnaſio quinque ſe adoleſcentes in familiam noſtram dicarunt. Educat autem ſodalitas Dei Matris ad omnem diſciplinam ac religionem adoleſcentes. ſunt inter eos, qui noctes totas in aſsidua precatione traducant: alij egenorum miſericordia capti, vel veſtes ijs diuidunt, vel argentum: inuentiq. ſunt adoleſcentes, qui quoniam per æta-

*ætatem nondum ad paternas capſas admittebantur, nec tractare nummos ſuo arbitratu poterant, veſtimenta ſibi ipſi detraherent, quibus pauperum nuda membra contegerent. Nonnulli vt famelicos paſcerent, ſuo ſe pabulo fraudarunt. Atque vt omittam, quam acriter in ſuum ipſi corpus quidam animaduertant, multo maior laus videri debet, eos qui in tāta hereſum colluuione ſunt alti, contra hæreticos tamen tanta concipere odia, vt ea non modo in illos, ſed in eorum quoque libros effundant. quotquot enim huius generis nacti ſunt libros, eos ad nos afferunt exurendos. Adoleſcens complura Lutheri Eraſmiq. volumina, quæ poſtea nobis traderet concremanda, ab hæreticorum Miniſtro coemit. Alij in aliorum ſalutem non minus curæ ſtudijque, quam ſi de noſtris eſſent, impendunt. Ex eadem ſodalitate Sacerdos profectus in Holandiam, breui tempore ad ſodalium numerum quinque & triginta, partim nobilitate partim eruditione præſtantes viros adiunxit. erant inter eos Parochi Sacerdotesq. nonnulli, quorum vnus ruſtico indutus ornatu, quo hæreticos falleret, in Holandiæ parte quadam, vbi præcipua hæreticorum eſt ſedes, modico temporis interuallo, pueros ferme centum ſalutis aqua reſperſit. Ac de hoc ipſo Sacerdote, vt de ijs, quos dixi, ſodalibus, & plura ſcribi poßent & varia, niſi me res geſtæ noſtrorū, quo potiſsimum referuntur hæ litteræ, ad ſe vocarent. Ad ſalutarē animorum expiationem non paucos ſæuientis peſtilentiæ lues adegit. Inuiſerunt noſtri corpore & animo laborantes, ac ne decedentibus*

bus

bus quidem, vbi eiuſmodi tempus incidit, abfuerunt. Vir nobilis, cuius iam ſalus vocabatur in dubium expiatis rite peccatis, paulo poſt emerſit è morbo. Nec minora ex hæreticis facta ſunt lucra. Nobilis hæreticorum Miniſter, Geneuam diſciplinæ cauſſa profectus, propter excellentiam ingenij, ad ſummam Caluinianæ ſectæ cognitionem breui peruenit. itaq; eius opera expetebatur à Ducibus ac Magiſtris. Auxit famam nominis concionum præſidium: præſertim apud Electorem Palatinum, eiuſq. filium Caſimirum. Sed quo latius Caluiniſtarum deliramenta diffunderet, in varias Germaniæ Belgijq. deſtinatus eſt vrbes, adhibitusq. ſæpe à principibus viris, tũ ad conciones quotidianas tum ad honorificas legationes. Verum cum & ex Principum conſuetudine, viuendiq. ratione, & alijs argumentis quamplurimis exploraſſet, quã eſſent omnia plena fraudibus apud egregios Caluini diſcipulos, nec alio tanti magiſtri ſpectare doctrinam, niſi vt per ſummam inſipiẽtiam, ex hominum mentibus veri Dei cultum & religionẽ eripiat; Miniſtrorum & ſynodorũ ſcripta reuoluit, eaq. accurate & diligenter expendit. Quæ cum a priſca illa religione longiſsime recedere animaduerteret, & quam diſsimilia ijs eſſent, quæ in Catholicorum litteris è regione perlegeret, abiecta omni cunctatione, ſtatuit ſibi de religione longe aliter ſentiendum. ex eoq. tempore eam orſus eſt vitam, vt facile in ſuſpicionem ſuis venerit deſertæ proditæq. ſectæ. Ad extremum eius rei cauſſa, vltimis prope defunctus periculis, Coloniam venit. vbi via ſibi ad integrã

ca-

aſtamq. religionem occultis cum Sacerdote no-
ſtro ſermonibus patefacta, tanto eſt animi dolore con
eſſus, vt paratum ſe diceret, ſi ita videretur, vel pu-
lice pœnitere. Antequam autem ad Eucharistiæ
nenſam admitteretur, coram Sacerdote ſacrificatu-
o, miſta lacrymis oratione ſe ipſe grauiter accuſa-
it: idq. præſente nobilitate præcipua: mox in genua
roſtratus, fidem ex formula concepta profeſſus, ſa-
ramento ſe religionis obſtrinxit. Dies ille maximũ
ꝫ ei, & ceteris qui adfuerunt, lætitiæ fructum attu-
it. Cumq. is, multos iam annos quodam morbi gene-
e laboraret, eo primum die liberum immunemque
e ſenſit: vt intelligeret, quantum importatum eſſet
nimo commodi, quod etiam in corpus redundauit.
Mulier Anabaptiſtis nata parentibus, cum à patriis
nſtitutis ad Catholica diſceſſiſſet, morborum cœpit
gitari moleſtiis: ſtatimq. ſubiit animum cogitatio,
ibi nondum ad Eccleſiam patuiſſe aditum per ba-
tiſmum. quæ cogitatio coniecturis nixa vehementi-
us, confirmabatur in dies. Itaque, replicatis exactæ
itæ curſibus & rebus diligenter inſpectis, cum vere
nulier fraudata baptiſmo videretur, ſolenni ritu ac
eremonia baptizata eſt: vix muliebre caput ſalu-
aris aqua tetigit, cum corporis morbum vna cum
hæreditaria illa animi lue ceteraq. peccatorum con-
agione diſcuſſit. Alia ex eadem colluuione mulier
ilentio prætereunda non eſt, cuius aduerſus Deum
mpietas, diuinam in ea ſeruanda pietatem mirifice
commendauit. Auſa eſt, per ſummũ nefas, ſacroſan-
cta Euchariſtiæ myſteria impuriſsimis digitis attre-
cta-

*ctare, eaq. in ciſtam pyxidemve conieéta, foras ad Anabaptiſtas, quibus ſe tradiderat, deportare. Hoſpes, apud quem diuerſata primum eſt femina, nocturno ſtrepitu excitatus, cum vltro citroq. trabi ciſtam totis ædibus audiſſet, ex muliere quærit, quid ciſta illa contineat: reſpondet mulier non minus audacter, quam impudenter, panis in ea contineri fragmentum, quem pro Deo Papiſtæ colerent. Re apud Anabaptiſtas peruulgata, illico vniuerſi conueniũt: profertur è muliebri ciſta candidiſsimus panis, & cum impuro hæreticorum pane coniungitur. deinde vtroque in arcam condito in diem poſterum, Videbimus, inquiunt, vter altero ſit diuinior. Cum dies inſequens illuxiſſet, ad arculam redeunt. noſtrumq. cœleſtem panem, integrum vſquequaque incorruptumque reperiunt; ſuum vero in bufonem teterrimum deformatum. Eo aſpectu cunctos terror inuaſit; ſed ij, qui ſuorum ſcelerum cumulo, ne prodigijs quidẽ ac miraculis mouebantur, exclamant, fraude id fieri Papiſtici panis (ſic enim per contumeliam Angelorum panem appellant) qui ne tum quidem vel à ſuis abſens, a faſcinandis oculis abſtineret. Porro bufo ſæpe coniectus in ignes, ſemper inde viſus eſt reſilire. dum ad extremum olla concluſum, ſcrobibus alte defoſsis, in ima terra ſepeliunt; ac ne quo tanta peſtis afflaret, diligenter operiunt: Eucharistiam vero petulanter arreptam, in eundem ignem contumelioſe coniiciunt: ea vero pulcherrimæ lucis radios, ſuæ diuinitatis teſtes emittens, lente conſumpta eſt. Eo prodigio exterrita mulier, relicta illico Anaba-*

pti-

*tiſtarum perfidia, ad Eccleſiæ paſcua caulaſq. re-*
*ertit. Ea poſtea, duo apud Anabaptiſtas ſe vidiſſe*
*arrabat. alterum, ad eos ſe contuliſſe virginē quan-*
*am, incertum qua cauſſa, quove impulſu: cui, cum*
*x eorum diſciplina ad ſecundum baptiſmum adige-*
*etur inuita, neque enim ignorabat, quantam macu-*
*am in ſe ſuſciperet, ſi primam illam originis macu-*
*am vno iam baptiſmo deletam, nouis iterum aquis*
*elere conaretur, tãtus impactus eſt colaphus, vt ve*
*tigia ipſa ad multos dies impreſſa fidem facerent,*
*lagam non humanam fuiſſe. Narrabat etiam, femi-*
*am quandam nactam ex eadem fæce maritum; cũ*
*niquo pateretur animo, quotidianis hæreticorum*
*onuentibus ſedes domeſticas inquinari, illis eſſe ſe-*
*ibus imprecatam, vt quotquot celebrari capitibus*
*onſueſſent, tot dæmonijs redderentur infeſtæ: ha-*
*uiſſeq. ſubitum tam diras preces euentum. Ex eo*
*nim tempore, tanquam accepta poſſeſſione traditi*
*omicilij, tantam ibi malorum dæmonum turbam*
*lebacchari ſolitam, vt ædiũ domini pauore perter-*
*iti, cedere nouis dominis ſint coacti.*

## [T]REVERENSE COLLEGIVM & Luxemburgenſis Reſidentia.

*TReueri cum ex alijs officiorum muneribus multiplex vtilitatis fructus, tum ex erudien-*
*da iuuentute colligitur. Imbecilla ætate puer ex hæ-*
*[r]eticis procreatus, quoniam Catholico ritu viuebat,*

du-

*durius â parentibus ſi qua in re forte offenderet, tra-
ctabatur. eo patria aſperitas progreſſa erat, vt vitæ
tædio, puer multa à Deo prece contenderit, vt ſi e-
commodum videretur, ſe ex ijs ærumnis in illam vi-
tam moleſtiæ omnis expertem, quo duæ quoque ſoro-
res propter ſuam pietatem, vt ſperabat, paucis die-
bus ante conceſſerant, euocaret. Interim ipſe furtim
ac diſsimulanter confeſsionis atque Euchariſtiæ my-
ſterijs animum expiat, & quaſi exploratum ſibi eſ-
ſet preces irritas non futuras, ad diem obeũdum ala-
criter ſeſe comparat. Vix à cœleſti menſa redierat
cum ſubito correptus eſt peſtilentia. ſed tam fœda
lues, quæ humanæ pulchritudinis florem infringit
non modo nihil ei de priſtina oris dignitate detra-
xit, verum etiam auxit. tanta enim iacenti venuſtas
acceſſit, vt pater vehementer admirans rei cauſſam
requireret: cui femina Catholica, quæ ægro mini-
ſtrabat, Nil mirum, inquit eſt, hodie enim ſacroſan-
cta altaris myſteria puer accepit, quorum ea vis eſt,
vt non modo animum ſuauiter afficiat, ſed interdũ
etiam redundet in corpus. Morbo ingraueſcente, ni-
hil æque dolebat puer, ac parentum in hæreſi perti-
naciã, matremq. pluribus obſecrabat, vt ſi ſe æquo
animo mori vellet, daret hoc poſtulationibus filij, vt
ſe iterum cum Eccleſia Catholica, vnde ſe ſeiunxe-
rat, copularet. Cumq. propius abeſſet à morte, poſtu-
lauit iterum ſacramenta, & quanquam ad eam rem
obſurduerat parens, vicit tamen diuturna conten-
tione filius, vt eo conniuente & expiaret iterum ri-
te noxas, & ſupremo illo diuinoq. viatico ſe muni-*

*ret*

*ret. Fratris exemplo infirmiſſima ætate ſoror, non-lum annum egreſſa nonum confeſſionibus vti cœpit cultis: furtiuiſq. precibus, quando palam non au-let. B. Virginem compellare, eamq. Catholico ritu verbis Angelicis ſalutare. Alij porro complures, qui Catholica religione neglecta, patria dogmata ectabantur, Eccleſiæ legibus & inſtitutis obtem-perant. Sacramentorum myſteria non minore ce-ebrantur hominum conuentu, quam fructu. Vnum niſſum non faciam, quod ad commendationẽ ſacræ Confeſſionis plurimum valet. nullis enim telis hu-nani generis hoſtis ita cõfigitur, vt accuſandis apud acerdotem prodendiſq. peccatis. Vir erat pietatis tudijs in primis deditus, qui & Sacramenta capie-bat aſſidue, & lectitabat libros de pietate conſcri-ptos, & veſtem cilicinam ad reprimendam contu-naciam corporis induebat, & exemplar deniq. pro-poſitum erat ad imitandum. Hic igitur dum in eo to-us eſt, vt à ſuſceptis maculis accurata ſe confeſſio-e perpurget, non tulit id callidus & inuidiæ plenus nſidiator. perſona viri grauis inducta hortatur ho-minem, vt mentem illam aut in aliud tempus reij-iat, aut omnino deponat, & in alias terras vbi viuat ilarius (ciuitates dicebat hæreticas) demigret: ne-que Ieſuitis ita ſe credat, vt ab eis diuelli non poſſit, eos eſſe homines callidiſſimos, qui perniciem ac la-queos adumbrata quadam religione prætexant. Non fuit difficile verſutiſſimo oratori, ea perſuade-re homini ſimplici, quæ tam artificioſe aſtuteq. com-poſuit. impulit hominem, vt non modo tam ſalutare*

animi expiandi conſilium abijceret, ſed etiam, vt & libros, qui pietatem accenderent, & veſtes cilicinas, quæ nuda membra comprimerent, concremaret. Deſudandum Patri noſtro fuit, qui à confeſſionibus ei erat, vt hominem inductum in fraudem, de errore deduceret. illuſtrauit inſignis veteratoris fraudem, qui perſonas non modo arripiat humanas, vt fucum animis faciat, ſed interdum etiam Angelicas: patefecit dolos & artes, quibus capere optimũ quemque ſolitus ſit: erudijt imbellem & confirmauit ad pugnam, vt ſi denuo eſſet cum hoſte pugnandum, hoſtiles impetus & conatus eluderet. Non fuerunt ab re neque alieno tempore adhibita magiſtri præcepta. redit mendacij pater ementitus iterum formam, & quoniam diſcipulum alienis conſilijs ſentit abductum, elaborat quantum poteſt, vt ſi minus ſacramentum confeſſionis obire nolit, certe ne tam frequenter obeat. rem damnare vt ſuperuacaneam inſtituit, minimeq. neceſſariam, nec parua docet carere culpa, defletas ſemel culpas deplorare iterum, & quaſi diuinæ miſericordiæ diffidas confeſſionum lacrymas renouare. Sed cum ea re tiro paulo iam ad certamen eſſet inſtructior, facileq. ſentiret laqueos ſibi atque inſidias ab hoſte prætendi; alias hoſtis adhibet artes, alias admouet machinas ad oppugnandum. Nihil tale diſſuadet amplius, concedit illi tam ſalutare præſidium, quo cum Deo reditur in gratiam: conatur tamen efficere, vt ad eã rem Ieſuitarum opera non vtatur, nec enim alios alibi Sacerdotes deeſſe, & quidem eruditos & pro-

bos

bos, apud quos peccata ponantur. Cum ne hæc quidem artificia procederent, inſtituit hominem non ex inſidijs ac cuniculis oppugnare, ſed petere aperte, ac perſona poſita. varijs eum terroribus ac viſis exagitat, iniurijs onerat, minas intentat: & vt ab omni ſalutis ſpe fiduciaq; deijciat, confeſſiones præteritas exprobrat, easq. ad veniam negat quicquam habere momenti, peccata etiam, quæ illi exciderant obijcit, certiſſimosq. denunciat apud inferos cruciatus: denique nihil miſſum facit, quo hominem in ſummam deſperationem adducat. Verum quo magis eos hoſtis noſter oppugnat, quos in ſuorum numerum Deus adlegit, eo magis ſentit ſuos conatus ac labores ad nihilum cadere. nondum enim expugnare potuit, quem multos iam menſes oppugnat. vim intulit eius uitæ, obtortaq. gula ceruices conatus eſt frangere, ita vt is complures dies nullam in partem caput flectere ac torquere poſſet. Obijcit ei ſeſe etiā num ad terrorem ſingulis hebdomadis ſæpius: quanquam voces iam mittit nullas, tot victorijs debilitatus & fractus: ſperaturque, quoniam & terrores quoq. diminuti ſunt, fore vt accerrimis fidei telis conficiatur & concidat.

Habuit initium LVXEMburgenſis Reſidentia, vt ſuperiores litteræ docuerunt, anno ſuperiore, in eaq. munera Societatis exſequitur par Sacerdotum, cum laico vno: quorum aduentu obeuntium diuina myſteria numerus non mediocriter auctus eſt. Et quoniam diebus Sabbathi per id tempus, quod inter Chriſti Domini Natalitia, & Dei Matris Puriſi-

rificationem eſt interiectum, veſci carnibus religioni non erat, ereptus eſt hic error & pro concione obiecta religio: actumq. apud Magiſtratum, vt & diebus feſtis Reipub. curæ ac negotia fraudi non ſint, & qui eorum dierum ſanctitatem ac religionem opere aliquo violarint, coerceantur. Eccleſiaſtici inſtitutio Seminarij à Pont. Max. comprobata, vehementer expetitur, in eamq. rē Prioratus quatuor quaſi loco pignoris decernuntur, ex ijsq. vnus iam nobis eſt attributus, non ſine opera atq. humanitate Archiepiſcopi Treuerenſis. Atque hæc initia, lætiores Deo propitio pollicentur euentus.

## MOGVNTINVM ET Herbipolenſe Collegia.

IN Moguntino Collegio fratres nobis adiuncti ſunt tres. Quinque autem & viginti ab hæreſum peſtilentia ad Catholicos reuocati, & in pagos proximos ſumma omniū cū voluntate vtilitateq. Catecheſis inducta. Gymnaſium nobilitat frequens & delecta iuuentus. quotidieq́. multi quantos apud nos proceſſus efficiant, & publicis teſtantur diſputationibus, & ſpecioſis Doctorum titulis conſequēdis. Auxit diſciplinæ decus ſpectaculorum celebritas. Nam & rerum quæ exhibebantur dignitas ac religio, & admirabilis Actorum venuſtas cum ex omni hominum ordine tum è nobilitate complures allexit. Excitati ſunt à mortuis longo iam ſeculorum

rum

rum interuallo Heſter & Iſaac: quos egregia iuuenum pietas ſic expreſſit, vix vt veritati concederet imitatio. Sumptus tum Saxonici Ducis, tum Treuerenſis Archiepiſcopi liberalitas ſuppeditauit. Atq; hæc in hoc Collegio præcipua.

HERBIPOLI in Societatem lecti ſunt quatuor. Alium quendam vocauerat Deus, ſed dum is diem ex die trahit, & Dei vocem procraſtinando contemnit, mortifero correptus eſt morbo, vt ſtrato fuſoq. corpore, vigeret animus qui lāguebat. itaque reputare ſecum attente cœpit, quanto tutius tum ageretur, ſi noſtrorum liceret inter amplexus ſupremæ illius horæ moleſtijs angoribuſq. defungi. quæ cogitatio cum penitus inſediſſet in animo, ſtatuit pugnare pro viribus, vt quamprimum ſibi in Societatem aditus patefieret. rebus igitur cum Rectore tranſactis, vt voti compos eſt factus, releuari morbo ſubito cœpit: facile vt appareret vim illam fuiſſe diuinam, quæ ijs omnibus eſt parata, qui malunt plagis quam vocibus admoneri. Habet & ſuos Dei Matris ſodalitas fructus, ijs nō diſſimiles, quos de Colonienſi ſodalitate narrauimus. Quidam ex ſodalibus cum in egentem & pannoſum hominem incidiſſet, miſeratione commotus pallium ſibi ipſe detraxit, vt Chriſti fratrem indueret: alijq. alijs non modo nummis, ſed varia quoque veſte ſuccurrunt. Atque in hac tanta in egenos humanitate, retinent tamē in ſe ipſi ſeueritatē. Fuit qui ſex ipſas hebdomadas horrida cilicia ad nudas carnes apprimeret. nec defuerunt pueri delicatuli, qui à parentibus pretium afferrēt,

*vnde ſibi cilicium aliquod emeretur. Quidam ad perpetuam Chriſti Crucis memoriam, ſimul & præſentem doloris ſenſum, accepto ferro notam ſibi Crucis inuſſit, eamque inſculptam gerebat in pectore, quam multo magis in animo iam inſculpſerat. Ita fit, vt cum ad omnem pietatem mutuo ſe ſodales exacuãt, facile eos reducant ad frugem, qui vel ab honeſtis declinant officijs, vel à Catholica veritate deſciſcunt. Conſtat enim eorum opera, aliquot iam hæreticos aduerſus Romanã Eccleſiam ſenſus ſuos menteſq. flexiſſe. Triginta amplius numerantur, qui ad Catholicorum ſe partes adiunxerunt. In his ſenex, peſtilentiæ cathedram apud Lutheranos, annos duodetriginta tenuerat: ſed vt ad ſanitatem rediјt, omnes in æde noſtra deteſtatus eſt hæreſes. Adhibiti ſunt præterea noſtri ab Herbipolenſi Epiſcopo ad eius diœceſim ditionemque luſtrandam. Is, vt eſt egregie ad tollendas hæreſes animatus, cum diœceſim ſuam, cuius non in diuinis modo dominus eſt, ſed etiam in humanis, hæreſibus occupatam animaduerteret; dudum eam cœpit inſpicere, edixitq. pœna propoſita (id quod ei per ſtatuta licet Imperij) vt qui Catholici eſſe nolint, intra præſcriptam diem faceſſant illico, alioq. ſedes transferant. Magiſtratus porro aduocat de præcipuis, deinde populum, omneſq. quantum licet & paternè monet & rogat, interdumq. minas addit peropportunas, vt ad ſanitatem vnumquemque reducat. Adhibet & Sacerdotem ad eam rem noſtrum, & preſbyterum alium ex Germanici Collegij diſciplina, vi-*

*rum*

*rum optimum ac familiarem. his negotium dat, vt & publice cum vniuerſis, & cum ſingulis priuatim agant: eoſq. ad pagos oppidaq. dimittit, vt populos ad auitam pietatem fidemq. Catholicam vel amplectendam vel retinendam, ſuis concionibus adhortentur. Itaque partim tanti Principis auctoritate ac diligentia, partim noſtri Patris opera, & eius, quem diximus, Alumni Collegij Germanici, complures ad Eccleſiæ Catholicæ gremium ſe receperunt.*

## SPIRENSE ET FVLDENSE.

*IN Spirenſi Collegio, incommoda pene omnes vſi ſunt valetudine, ſed vnus tantum deſideratus eſt Rector, exemplum ſanctitatis & diſciplinæ. Gymnaſij celebritati inueteratus morbus non nihil obfuit: auditores tamen remanent fere ducenti, quos ſpectaculis excitandos, noſtri ſibi putarunt, quorum vtilitas ad ſanāda etiam in ſpectatoribus vitia pertineret. Hæreſim eiurauere ſeptendecim, in eoque numero Spirenſis Epiſcopi mater, quæ mariti perfidia de religione deiecta, ad ſeptuageſimum & quartum annum ſecura viuebat, nihil de animi ſalute, nihil de violata Chriſti fide laborans: ſæpe cum ea de repetenda religione filius, ſæpe alij complures egerant; ſed cum ſemper fruſtra ſudaſſent, tandem vetula in morbum lapſa, quo tentata vix vnquam erat, poſt multas filij cohortationes admiſit vnum è noſtris, cuius ſermonibus atque argumentis euicta, ad Catholicam reuertit Eccleſiam, diuiniſque*

communita myſterijs tuto migrauit è vita. Ad ceteram liberalitatem, quam Societatis ſtudioſi nonnulli, in locupletando varia veſte templo, augendaque re domeſtica declararunt, acceſſit alia pergrata benignitas è venerandis ſanctorum corporum, Nicolai & Laurentij reliquijs. ex altero bona pars Cranij, ex altero iuſtæ magnitudinis os datum eſt, ignis etiã num veſtigijs inuſtum. Hæc cœnobio cuidam iam inde a Dagoberto tradita, poſtea ne in ſacrilegas hæreticorum manus inciderent, pij homines adſeruabant: nunc ad nos delata non ſine religioſa pompa concentuque ſymphoniæ, habentur ſcilicet in theſauris.

Ager quoque FVLDENSIS non exiguo fœtu noſtrorum remuneratur impenſas. Hæretici amplius quinquaginta in Catholicorum partes diuinitus inclinarunt. Quoniam autem à Germaniæ nobilitate, reliquorum ad Eccleſiam reditus pendet, faciendum ſibi putauit Gregorius xiij. vt ex equeſtri ordine nobiliue loco natos adoleſcentes, quorum poſtea late pateret induſtria, ſuis ſumptibus aleret. Huius Seminarij adminiſtrationem penes Societatem noſtram voluit eſſe, in eoq. ali minimũ quadraginta, cum ex omni Germania tum è Septentrione potiſſimum. Hæc Gregoriana munificentia incredibile eſt, quam ſecundis animis ſit accepta: teſtantur procerum litteræ, Principumque commendationes tum ad Collegij noſtri Rectorem, tum ad Teutonicum clariſſimum Principem, qui Fuldæ præeſt. Hæc iuuentutis nobilitas varijs eſt diſtin-

iſtincta nationibus: numerantur in ea Veſt-
phali, Saxones, Heſsij, Buchonij, Sueui, Rhenen-
ſes, multorumq. Principum neceſſarij. y quanquam
maximam partem Lutheranis ſint orti familijs, tan-
to tamen Religionis ardore Catholicam complectun-
tur Eccleſiam, vt in ea nati educatiq. videantur. nec
quicquam iniquiore animo ferunt, quam cum domũ
à parentibus reuocantur, tam ægre diuelluntur à no
ſtris. Et tamen quidam ex ijs cum inuitus huc mitte
retur, multa dicitur queſtus eſſe cum Deo, quod ſibi
ad Ieſuitas, homines ſceleſtiſsimos proficiſcendum
eſſet, fore tamen vt omni prouiſione animi ab eorum
dolis fraudibuſq. caueret. Ea de re admoniti noſtri
non pugnandum rati, nec de religione ſubito agen-
dũ. quippe in animis obfirmatis plus ſæpe valet dies
ipſa quam pugna, Deo potius erudiendum tractan-
dumq. permiſerunt. Ecce tibi non longo ſpatio tem-
poris interiecto, vltro Sacerdotem ipſe compellat,
peccataq. ſingillatim enumerat, & quidem orſus à
prima ætate, tanta doloris pietatiſq. ſignificatione,
facile vt intelligeres, quo tandem magiſtro vteretur
ac duce. Idem cum in morbo paternis litteris admo-
neretur, vt ſi ſe moriturum putaret, vel ſub vtraque
ſpecie poſceret ſupremum viaticum, vel id omnino
contemneret: parentem ſuũ ipſe deriſit, Imo, inquit,
vel ſub vna tantum ſpecie capiam, vel certe venerãs
abſtinebo. Pari pertinacia adoleſcens alter acceſſe-
rat, quem cum huc non tam ſua, quam ſuorum volun
tas atque auctoritas compuliſſet, fugam initio medi-
tari cœpit, ſed partim pudore victus, partim fretus
fir-

*firmitate ac robore patriæ diſciplinæ, minus ſibi exiſtimauit impendere periculi ſi maneret. Is in Lutheri verba iurarat, nouoq. ſe ſacramento religionis obſtrinxerat cum diſceſsit a ſuis. Sed vicit pertinacem animum religionis Catholicæ ſanctitas, & plus potuit perſpecta veritas, quam mendacium. ergo qui præclare aduerſus eam ſeſe munierat ne caperetur, vno eius captus aſpectu, ita manus dedit, vt de ſuis quoque ad eandem religionem alliciendis magnopere ſit ſollicitus. Iam ad firmandam propagandamque Catholicam Religionem cœpta eſt de more ſumma Chriſtianæ legis exponi, qua imbuitur multitudo maxime puerilis. Conſtitit in ea re Gubernatoris nauitas ac diligentia, qui cum cognouiſſet, quanta eſſet vel in ſenili, & affecta iam ætate diuinæ legis inſcitia, partim cohortandis Fuldenſis agri paſtoribus, partim imprimendis Catechiſmi codicibus totaq. vrbe diſſeminādis, rem Chriſtianæ doctrinæ valde promouit. Abeo a notis quotidianisq. muneribus. Brunſuichiam profectus eſt Sacerdos, Erici Ducis coniuge poſtulante, vt præclaram Dei Matris imaginē, infantem IESVM fouentis in gremio, vetuſtis nobilitatam prodigijs, ad Forliuiēſe Collegium, cuius partem templi matrona illa conſtruxit, transferendam curaret. Hanc imaginem annis ante ſexcentis (nam digna res eſt, quæ à capite repetatur) eques nobilis, dum ſylueſtres agitat feras, inuenit: ea impoſita erat trunco arboris peruetuſto, eleganti ſpecie, & ad incitandam pietatem ſpectantis idonea. Non tulit pius eques in occultis eam ſyluis ſine honore latere,*

*abla-*

latam ex ignobili ligno deportari iuſsit in ædes.
d non diu illa à ſuis ſedibus abeſſe voluit: poſtridie
eũdem truncum arboris reperitur. Cumq. ſemel
que iterum vnde ablata fuerat, reuertiſſet, rei mi-
culo vir nobilis excitatus, virginum cœnobium in
locis, partim ſuis ſumptibus partim alienis extru
t. Fuerat ad hæc vſque tempora cœnobium illud ſa
arũ virginũ frequẽtia cœtuq. nobile, ſed annũ ante
geſimũ, ad Lutheranũ quendã eius adminiſtratio-
trãſlata, magnas ſcilicet accepit clades: homo im-
obus omnium religionũ contẽptor, ſub eo, quẽ dixi,
unco, vbi Dei Matris imago tot iam ſecula ſuum
buerat domicilium, cellam vinariam effodi iuſsit.
d non impune hæc impietas abijt. tertio die horrea
nnia & pecus vniuerſum, et ædificia nonnulla ignis
cendio conflagrarunt. ipſe vero ſceleris auctor cũ
ugnos ad honores iam perueniſſet, multorum faci-
rum reus, in atrum coniectus eſt carcerem, vbi ſcẽ
tam vitam inhonorato fine concluſit. Cænobium;
ia opulentum erat, manet illud quidem etiã num,
l à mulieroſo eodemq. Luthérano concionatorẽ
ratur: & quantum à primo illo diſtat ortu, tantũ
auita religione diſcedit. Hoc nimirum impulit
ectatiſsimam feminam, tanti Ducis coniugẽ, vt qui
cus nullum priſtinæ pietatis veſtigium retinebat;
m hoc etiam antiquæ religionis pignore ſpoliaret.
fficiles ſeſe præbebant mulieres, cum ad eas miſ-
Sacerdos noſter cum litteris & mandatis, ſacrã
aginem auchebat: poſtea tamen Ducis auctori-
tem coniugiſq. reueritæ, non ſine lacrymis eam à

ſe

ſe diuelli paſſæ ſunt, flagitantes etiam à Ducis coniuge per litteras ſummis precibus, ne ſe tanto præſidio diutius carere pateretur, quo ſublato certiſsimam perniciem incurrerent.

## HEILIGENSTADIENSE Collegium.

HIC quoque ager gratiam retulit impenſis laboribuſq. non imparem. Quatuordecim è dæmonum caſtris ad Catholicorum ſigna traducti ſunt. Mulier in ijs, quam malus dæmon per familiarem aſpectum mutuumq. congreſſum ad filiorum necem acriter inſtigabat, conſilij inops, cum aliunde nulla ſe ſpes opis offerret, confugit ad noſtros, quorum hortatu cum rite maculas eluiſſet, eo eſt aucta robore contra hoſtiles inſidias, vt tela non requireret acriora. Miniſter iam ætate prouectus in varijs hæreticorum cathedris tempus omne contriuerat. is cum ſecum ipſe & leuitatem reputaret ſuorum, & pugnãtia inter ſe Lutheri dogmata contuliſſet, medicinam eo ipſo veneno, vnde ictus fuerat, ſibi fecit. agere cũ Sacerdote noſtro cœpit, eiuſq. de ſententia rite confeſſus, in Catholicorum fidem doctrinamque iurauit. Vehementer pupugit amentes hæreticos, Calendarij promulgata correctio, cuius auctoritatem vt eleuent, ac, ſi fieri poſſet, prorſus antiquent, nihil non moliuntur homines improbiſsimi. Dies feſtos, quos nulla ante religione colebant, eos nunc è veteri Calendario, quod pertinaciter retinent, quanta maxi-

ma

a poſſunt pompa apparatuq. concelebrant, aſsi-
uo campanarum ſtrepitu concurſuque plebeio.
Qui vero porcorum inſtar ſublato dierum tempo-
umq. diſcrimine, in omni ſe ciborum cœno ac lubi-
ine volutabant, omniq. epularum luxu teterrimũ
uum refarciebant abdomen: hos tam repentina in-
eſsit temperantiæ cupiditas, vt cum dies feſtus è
uis faſtis inciderit, pridie carnes de more non vorẽt,
ed legem ſibi peruigilij & inuitæ cuiuſdam indicant
nediæ. Poſtridie vero fraudati abdominis damna
eſarciunt, gurguſtia popinaſq. velut religioſa tem-
la frequẽtant. in ijs natalitios hymnos & pium car-
nen eructant, & ad pias lacrymas largo ſe potu la-
eſſunt. In tanto hæreticorum odio non deſunt, qui
ari humanitate officijſq. nos foueant. Moguntinus
Princeps, ad reliquas ſpes quibus noſtram ſolatur
nopiam, adiunxit annuos ſumptus in apparatum Bi-
liothecæ, & in ædes inſtaurandas impenſam. Sed
Heiligenſtadienſes hæretici, plurimum hoc anno de
ua contumacia & ſpiritu remiſerunt. Plerique po-
eſtatem ſuis liberis faciunt diuina apud nos capien-
li myſteria, id quod a ſuis ipſi impetrare parentibus
e firma quidem iã ætate potuiſſent. & qui per ſum-
nam licentiam indicta ab Eccleſia ieiunia vorandis
carnibus eſciſq. præpinguibus violabant, nunc eas
erocia poſita, nec vorant propalam, nec exponunt
venales. Adiumento ſunt interdum, quæ diuinitus
à Catholicis ſupra vim naturæ geruntur. Puellæ
adeo erat ſiue morbo, ſiue carminibus implicita lin-
gua, & ad ſummum retorta palatum, vt vocem fin-
gere

*gere aut verba non poſſet: ſed Sacerdotis noſtri pre-cibus expedita, ad officium continuo rediјt. Feminæ aliæ duæ territæ manibus mortuorum, adhibitis, no-ſtrorum conſilio, tum luſtralibus aquis, tum precibu- pro vita functis, omni ſe moleſtia terroreque leua-runt.*

*In MOLSHEIMENSI Collegio, quatuor fa-cta eſt ſociorum acceſsio. Gymnaſii auditores vt an-no proximo peſtilentia, ita hoc partim fœda dyſen-teriæ lues, partim terrores bellici diſtulerunt: no-deſunt tamen optima adoleſcentes indole, qui fre-quentent. Quatuor ſeſe hæretici ad Catholicam re-ligionem applicuerunt, vnuſq. qui non modo ab Ec-leſia, ſed à cœnobio quoque ad hæreſim & ſcort- defecerat, poſt longos tandem errores noſtrorũ op- ad Eccleſiam ſeſe cœnobiumq. recepit. Complure- ad euomendam animi ſaniem plagaſq. nudandas quadrageſimo aut quinquageſimo poſt anno perdu-cti ſunt. datæq. aures non ciuibus tantum, verum etiam paganis: tanto cum Catholicorum bono, vt quibuſdam in oppidis ad cæleſtes epulas turmatim accurrerent.*

## CONFLVENTINVM COLLEGIVM & Paderbornenſis Reſidentia.

NEC *minore ſtudio Confluentinum Collegium in conſeruandis animis laborauit. Catechiſ-mi vſum domi foriſq. vulgauit: ad ſacramenta com-plures elicuit, ad veritatem etiam Catholicæ diſci-*

*plinæ*

*linæ non paucos. Matrona in ijs nobilis Caluini pro*
*ıgnatrix acerrima, adeo ſeſe ſacris litterarum mo*
*ımentis inſtruxerat, vt qui cum ea dimicationem*
*ſciperent, eorum artes & conatus facile refuta-*
*t. Ea ne noſtrorũ quidem impetum congreſſumq.*
*rtimuit. & vero primo certamine ſemel iterumq.*
*ſtinuit: ſed vbi rationum ſe premi ponderibus ani-*
*aduertit, ad extremum manus dedit, hæreſim eiu-*
*uit, & in Eccleſiæ ſinum gremiumq. refugit. ac ne*
*ta videretur illa conuerſio, ſuſcipiendis publice ſa*
*amentis teſtatam fidem ac religionem ſuam om-*
*bus eſſe voluit: ac pro tam eximio Dei munere, qui*
*i lucem in tantis tenebris prætuliſſet, poſtridie in*
*ontem quendam Dominica nobilitatum cruce ſe-*
*ſsit. Quo in itinere vbicunque Chriſti reperit per-*
*ſſi trophæa, ea non ſine magna commeantium vl-*
*o citroq. hominum admiratione, poſitis genibus*
*lorauit. Ac ne liberi, quos duos habebat in hæreti-*
*rum diſciplina gratuita, deprauatæ doctrinæ vi-*
*ıs peſtemq. conciperent, vel potius vt euomerent*
*m conceptam; ſtatim ex impuriſsima illa ſchola in*
*ſciplinam noſtram tranſtulit, moribus imbuendos*
*litteris. Redijt ad lucem hæreticus alius, qui ex*
*ſu cõſuetudineq. noſtrorũ, ita in Catholica pietate*
*confirmauit, vt quanto magis antea Catholicos ri-*
*ıs & ſacramenta deteſtabatur, tanto nunc ſtudio-*
*ıs veneretur & obeat. Tulit a Deo ſuæ pietatis*
*n exiguam mercedem, ſed eam, quæ perfecta iam*
*rtute viris in hac vita perſoluitur. In itinere pon-*
*eroſæ arboris caſu ad terram afflictus, femur gra-*
*uiter*

uiter ictus eſt. vtriuſq. femoris comminuta ſunt oſſa miſerandum in modum: quod plagæ genus non tam ipſum eſt peracerbum in præſentia, quam quod quotidianis curationibus recrudeſcit, nec tractari ſe vel leuiter patitur ſine ingenti doloris amplificatione. Ille vero tanto accepto vulnere non prius chirurgi manus admiſit, quam Sacerdote de noſtris accito confeſsionis atque Euchariſtiæ myſterijs aduerſus eum cruciatum animum confirmauit. Euchariſtiæ ea vis fuit, vt in ſuam ſedem repoſita compulſaq. oſſa, nullos omnino cruciatus doloreſq. cierent. Pari ſtudio ſubuentum eſt Lutherano cuidam, capitis reo, qui cum in ea mori perfidia induxiſſet in animum, quam cum nutricis lacte ſuxiſſet, Prætor humanæ ſalutis in primis ſitiens, Sacerdotem ea de re noſtrum per internuncium admonuit. Pater diſsimulato Sacerdotis ornatu (reus enim ne Sacerdotalem quidem ferebat aſpectum) vna congreditur. is ad omnem pertinaciam inſtructus non modo inductione animi, quæ vna vim omnem habet, verum etiam litteris doctrinaq. nonnulla, ſpes Patris eluſit. Pater moram interponendam ratus, redit poſtridie cultu ornatuq. ſuo; homo tamen nulla ſpe data ſalutis in amentia perſtabat, agendum quippe precationibus erat, & mitigandæ cæleſtes iræ, ne pro meritis noxiſq. ſæuirēt. dat ſe Pater in preces, & ad id quoque reum ipſum hortatur, vt diuina clementia humanæ imbecillitatis pauliſper oblita, errorum tenebras pellat, clariſsimumq. ſuæ veritatis lumen oſtendat. Non temere fuſæ ſunt preces; cœpit reus ſuam Patri animam pro-

pediem

ediem è corpore migraturam ſummo ſtudio mul-
ſq. lacrymis commendare, expiatiſq. rite noxis ad
um diem, qui erat ei ſupremus, ita animum compa-
uit, vt appareret viuere in morte cæpiſſe, qui mor
ius in vita fuiſſet. Ac ne deprecationum vis, vnius
ntum rei declaretur euentu, eodem præſidio redu
us eſt delirus ad mentem, qui ex inimicitiarum ra-
e, de poteſtate mentis exierat, eademq. opera ad
quitatem ac pacem reuocatus. nec vero ijs modo
ui alieno tenebantur odio, ſed ijs etiam qui in ſe fer
um ſtrinxerant, allata pax eſt. In his quidam è dæ-
onis, cui ſe deuouerat eſt ereptus inſidijs, ac ne ſui
ſius carnifex eſſet, id quod non ſemel Diabolo inſti
nte tentarat, omni ope ac contentione prohibitus.
In capiendis tractandiſq. ſacris myſterijs, ani-
orum vtilitas celebritati nil cedit. nam & ma-
facta in confeſsione præterita vel conſulto vel
ſcienter, longo tandem interuallo nudata, &
ceris confeſsionibus expiata ſunt. Matrona ſtude-
t illa quidem, vt videbatur, aſsidue à quotidianis
xis animam perpurgare, ſemper enim à ſacro illo
ibunali cum gemitibus recedebat, ſed peccato gra-
ore ſuppreſſo, nihil miſella minus aſſequebatur. re-
ntinus morbus immiſſus, (haud dubie diuinitus)
orbum animi peſtemq. diſcuſsit. ſtatim accito Sa-
rdote noſtro, inteſtinum virus euomuit, ſanatusq.
imus, intra ſpatium non amplius horæ exceſsit è
rpore: tanto hilarius deſerens terras, quanto ex-
oratius habebat ſe extra omnẽ aleam periculumq.

victurum. Hi ſunt præcipui Confluentini Colleg[ii]
fructus.

Non eadem eſt felicitas PADERBORNEN-
SIS agri. maxima hic apud improbos, quorum i[n-]
gens ſemper eſt numerus, laboramus inuidia, nec […]
tamen declinari poteſt, quando ſemel cum hæreſu[m]
vitiorumque monſtris bella ſuſcepimus. Concion[es]
noſtræ eo potiſsimum referuntur, vt quæ de ſugg[e-]
ſtibus impuriſsimi in nos Parochi Miniſtrique v[o-]
muerint, ea redarguant atque confutent. In pleb[e]
corrupta ſunt omnia, nullus eſt legum metus, nul[la]
imperij diſciplina. Quidam ſacris aſtrictus, ſiue a[d]
ſtimulandum clerum, ſiue ad concitandam ſeditio-
nem, ſacrilegas cum ciue nuptias publice iniit, e[t]
quidem nullius pœnæ denunciatione deterritus; qui[p-]
pe ſperabat, id quod euenit, fore ſe aduerſus vim pu-
blicam populi furore ſatis inſtructum. nunc cum mu-
liercula viuit, peſsimoque publico, ab ara ſe abiec[it]
ad thorum. In tanta morum corruptela non de[-]
ſunt, qui vel noſtram frequentent ædem, vel rem Ca-
tholicam ſuo ſuſtentent exemplo. Ferunt decus Ca-
nonici quidam, alumni Collegij Germanici, qui tu[m]
ſtatis precandi temporibus, tum reliquis Eccleſiæ r[i-]
tibus ſancte ſeruandis, mirum eſt, reliquum cle-
rum quam vehementer inflamment. Sed, quod i[n]
ijs admirandum eſt magis, vel in rebus aſperis con-
ſtantiam retinent. nam cum malos mores ferre no[n]
poſsint, nec vulgus imitentur æqualium; multa m[i-]
mirum acerba atque indigna perpetiuntur.

Tu-

Tumultus ille Colonienſis, de quo ſuperiore an-
dictum eſt, à Truchſeſio excitatus, hic quoque
uerſus clerum Veſtphalos incitauit. Ab his ſunt
r ſummam contumeliam & impietatem, templa
templorum ornamenta deiecta atque direpta, vt
tenuiſsimæ quidem reliquiæ ſacræ veſtis appa-
ãt, ſigna afflicta ac comminuta, diuina omnia euer-
ac violata. Sed non omnibus id impune ceſsit. Opi-
æ quidam dum contra Catholicos glorioſe ſe ia-
ıt, mirifice ſe tundendis ſacræ menſæ calicibus
lectari, repentina peſtilentia correptus, & cum
liqua familia fœde conſumptus, docuit ceteros
antum in violatione ac direptione ſacrorum pia-
lum admiſiſſent, quando ipſa quoque maledicta
n eſſent acriter vindicata. Quanquam, quæ eſt im
oborum denſiſsima nox, ne hoc quidem diuinæ ſe-
ritatis exemplum ſacrilegas hæreticorum manus
olluenda religione compeſcuit: tractare impuden
ſime ſacroſancta altaris myſteria non horruerũt,
ntumelijs & probris appetere, ſacras arculas per-
utari, euertere inſtrumẽtum omne diuinum, pro-
re de cuſtodijs, quæ tanquam religionum ludibria
er ſe deriderent, denique per laſciuiam accenſis
ibus factoque agmine, ſupplicationis Catholicæ
mpam imitari, impietate non minore, quam luſu.
itigauit hanc feritatem Bauarici Ducis fratris ne-
aquam ſatis laudata pietas. is vt in Truchſeſii ſuf
ctus eſt locum, excubare in omnem gregem cœpit,
quoad fieri poteſt, mulieroſi quondam Archiepi
pi petulantiam, eiuſque ſimillimorum audaciam

*ferociamque comprimere. Sed tamen in tanta adh[illegible]
ſcelerum impunitate, tantaque hæreticorum lice[illegible]
tia, quoniam humanæ iam induſtriæ vires peruen[illegible]
runt ad ſummum, diuinæ ſunt implorandæ: vt
aut ſui nominis hoſtes funditus perdat,
aut quod magis optandum eſt, pro
ſua clementia ab ea praui-
tate ad ſaniora conſi-
lia conuer-
tat.*

PRO-

# ROVINCIA FRANCIAE.

SEptem ſunt in Francia domicilia, in iiſq. fratres ducenti circiter ac triginta. In Profeſſorum Domo Pariſienſi viginti. In Collegio tres ac ſexaginta. Muſsiponti quinque & quinquaginta. Virduni vndequa-aginta. Biturigibus ſeptendecim. Augi quatuorde n. Niuerni totidem. Obiere nouem. Adiecti ſunt Societatem vnus & viginti.

## OMVS PROFESSA Pariſienſis, & Pariſienſe Collegium.

N Profeſſorum Domo Pariſienſi, inchoata eſt ciuium beneficentia, excelſioris templi conſtru-io, vbi iam fructuum vbertas cum laborum creſcit ipendijs. Ad domeſticos autem labores, qui nihil bent hoc anno præcipui, acceſſerunt externi non inus vtiles frugiferique quam illi. Apud Santonas quitaniæ populos, quo Epiſcopi rogatu miſsi ſunt oſtri, templum quod ſibi hæreticorū impietas vſur-rat, Catholicis vindicarunt. In finitimo vero oppi-primarias familias, quæ biennio iam, inteſtinis

*odijs ardebant, non ſine multa opera ac labore p[...]carunt.*

*PARISIENSE Collegium, vt nouis ædibus, [...] nouis amplificatum eſt ſocijs. Duodecim in nouiti[...]rum diſciplinam recepti ſunt, cum bonæ indolis o[...]nes, tum philoſophia exculti non pauci. Nec tam[...] alijs religioſorum familijs ſuus numerus defuit[...] quippe ad eas quindecim diſceſſerunt. De frequen[...] ſacramentorum vſu nihil eſt noui, frequentiæ por[...] reſpondet vtilitas: interdumq. myſteriorum comm[...]nicatione non modo animorum pulſi ſunt morbi, v[...]rum etiam corporum. Quidam valetudinis vitio f[...]rere adeo cœpit, vt exerceri putaretur à dæmone[...] præſertim quod cum latine neſciret, mens tamen f[...]ribunda latina verba fundebat. ſed cum effrœnat[...] & præceps furor nullis poſſet opibus contineri, [...] ſuis arcte conſtringitur. accerſitur ad eum Sacerd[...] è noſtris, is qui ſodalitio præerat Dei Matris: cu[...] eo confeſſionem peccatorum inſtitutam perſeq[...] vſque ad extremum per amentiam non licuit. paul[...] poſt, habitis ad eum de pietate ac religione ſermon[...]bus, cum paululum remiſiſſe furoris impetus vide[...]retur, ſpopondit ſi conualeſceret, nomen ſe ſodalita[...]ti daturum. Cum iterum morbus vrgeret, ad B. Ilde[...]berti vinctus effertur, vbi nouem ipſos dies pro eiu[...] incolumitate, tum huius, quem dixi Beati, tum Beat[...] patrocinium Virginis imploratur. omnino magnar[...] vim habent ſubſidia cæleſtium ad impetrandum. no[...] prius ſupplicandi factus eſt finis, quam inflammatu[...] furor ille reſedit. itaque priſtinæ valetudini reſtitu[...]*

*tus,*

us, ſuiſq. pedibus domum regreſſus, ſodalitati vti
openderat, ſe dicauit. Alius magnæ & apud Re-
em, & apud omnes auctoritatis, in morbo dicitur ſi-
iudicem videre viſus pro tribunali ſedentem, oris
bitu ad ſeueritatem compoſito; à latere autem ve-
mētem accuſatorem, ſua enumerantem ex ſcripto
ccata, eorumq. grauitatem & pondus exaggeran-
m, ipſa quoque confeſſionum delicta carpentem,
benefacta, quæ ad culpam redimendam afferri
ſſent, extenuantem: tum inter lacrymas æſtumq.
fenſionis expergefactus, continuo confeſſione ani-
um expiaſſe. atque hunc eſſe fructum ex eo viſo
rceptum. Hæreticus Miniſtri cuiuſdam notiſsimi
ius, mortifera accepta plaga, cum de carnis reſur-
ctione, quid ſtatueret non haberet, inſtitutus à Sa-
rdote noſtro Catholicorum moribus ac legibus, ad
eundam cum laude mortem ſe comparauit. Vt au
m ad ſacramenta capienda ventum eſt, placuit di-
næ bonitati, vitam iam morituro producere, vt qui
dus atque inanis deceſsiſſet a benefactis, diutur-
ore lucis vſura merita meritis cumularet.

Redierunt ad Eccleſiæ obediētiam ex hæreſi mul
Ex his quidam philoſophiæ ſpatiis medicinæq. de-
rſis, cum huc eo animo ſe contuliſſet, vt doctrinæ
cto periculo, ſpecioſos Doctoris titulos auferret,
uitatus à familiari quodã ad audiendum Doctorē
ſtrum, deinde etiam ad colloquium, facile addu-
us eſt, vt ſuſciperet de religione certamen. itaque
cem dierum diſputationibus habitis, luce quadam
uinitus illuſtratus veritatem aſpexit. in patriam

*poſtea reuerſus hæreticorum turba refertam, dum imperitiſsimum quemque Miniſtrum diſputation[e] laceſſit, Catholicam religionem mirifice commendauit. Scholæ quanquam recenti peſtilentia ſolitudinis adiere diſcrimen, nunquam tamen copioſo auditorum numero caruerunt. mille quingentorum i[s] fuit, aut non multo ſecus. Noſtri vim morbi prorſus effugere non potuerunt. abſumpti ſunt tres, in ijſqu[e] Sacerdos, qui venientem ad ſe confeſsionis cauſſa Sacerdotem, ne lues illa permanaret ad plures, cum bona venia dimiſit: quod diceret nulla ſe grauioris conſcientia culpæ teneri, leues autem noxas facile ſuorum fratrum precibus deletum iri. egregia profecto viri charitas, qui Sacerdotis extremo ſolatio carere maluit, quam cum eius detrimento oblatum munu[s] accipere.*

## MVSSIPONTANVM ET Virdunenſe Collegia.

E *Muſſipontano Collegio, Societatis vitam ingreſſi ſunt ſex, nec minor in eo ſacramentorũ vſus, quam in alio quouis.*

*VIRDVNI autem, vbi eorum eſt ſedes, qui ad Societatem recentiſsimi veniunt, non pauca in ijs, quos ad hanc vitam Dominus conuocauit, diuinitus acciderunt. Quidam terreſtribus maritimiſq. periculis non ſine Dei Matris numine liberatus, eiuſq. ſecundum quietem recreatus aſpectu, ad Societatem animum appulit. Ne alteri quidem diuina bonitas*

*defuit,*

deſuit, qui cum eiuſdem vitæ ſtudio teneretur, rem tamē, quod ſuis eſſet filius vnicus, deſperaret, in ſomnis dicitur eſſe viſus pietate præſtanti matri, è cœnoſi lacus vndis emerſus, in liquidiſſimum ſe fontē immergere, ex eoq́. ſordes abluere. nocte inſequenti, iterum eſſe viſus inter vtrumq. parentem velut torris ambuſtus; eoq. viſo parentes admoniti facile conceſſiſſe filio, vt noſtras vitæ rationes inſtitutumq. ſuſciperet. Aliȷs tamen cum parentibus pugnandum fuit. Adoleſcens cum mentem ſuam patri non dubitaſſet exponere, pater eum in patriam abductum, variȷsq́. modis exercitum in hæreticorum oppidum amandauit. Sed tantum abeſt, vt Catholicum pectus labes vlla reſperſerit, vt eius hoſpes oratione & vitæ exemplo permotus, filium ad ſcholas noſtras Virdunum, ex hæreticorum diſciplina traduxerit. ipſe vero cum tandem extorſiſſet à patre, ſibi vt abire liceret ſtudiorū cauſa Lutetiā, non longo temporis interuallo tacitus transfugit ad noſtros. Sed quoniam Virdunenſem ciuitatem deformauerat peſtilentia, magna oblata eſt tum veteranis tum nouis facultas ac materia pietatis. miſſi ſunt qui laborantibus opē ferrēt: qua in re acriora reperta ſunt ſtudia eorum qui poſcerent, quam qui mitterent. Habitarunt nonnulli extra Collegȷ ædes in pago, vbi ferendis incommodis non minor patientiæ campus, quam charitati patebat. Et quanquam ad ianuam prope noſtram contagio manarat; placuit tamen Diuinæ clementiæ ſocios ab ea noſtros integros immuneſque ſeruare.

# BITVRICENSE ET reliqua Collegia.

BIturigibus ad explanationem Catechiſmi, quæ duobus locis ſuperiore anno inſtituta eſt, acceſſerunt in duobus templis curialibus aliæ duæ, tanta cum animorum vtilitate, vt id putetur ad ſuſcitandum antiquæ pietatis ardorem, omnium optimum fuiſſe præſidium. Scholæ quoq. nihil nec de numero nec de pietate remittunt, conſtántq. auditoribus fere quingentis, iiſq. pietati Catholicæ ſic addictis, vt eorum opera ducenta minimum hæreticorum, aut impurorum hominum volumina ſint exuſta.

NIVERNI diuturna peſtilentia, quæ biennio amplius ciuitatem afflixit, cum ad id tempus noſtri fuiſſent incolumes, quatuor tandem ex eo numero perierunt. In his Sacerdos quidam, cui cum poteſtas facta eſſet in ſalubriores migrandi ſedes, & à peſtilentiæ contagione tutiores, ſatius duxit eſſe, manere cum ſuis, ſuorumq́. fratrum periculis, ſi quæ inciderent deſeruire, quam fratrum charitate neglecta vitæ ſpatia prorogare: iſq́. cum è vita concederet vehementer ſe lætari dixit, quod id, quod diuturnis à Deo precibus contendiſſet, vt intra hæc ſepta extremum vitæ diem morte conficeret, impetraret. Huius Sacerdotis exemplum fratrem alium, qui vel ipſum peſtilentiæ nomen horrebat, plurimum confirmauit,

ſic vt

ſic vt paucis poſt diebus luem illam velut à Deo immiſſam acceperit lætus, & in ſummis dolorũ cruciatibus, biduum triduumue partim orando Deo, partim confeſſione animo expiando conſumpſerit. Sed vt à Deo hoc morbi genus immittitur, ita eos, quos inuaſit tam alacres reddit ad mortem, vt in beneficij loco numerent, quos abſtulerit. e noſtris quidem nemo non migrauit alacriter. Sacerdos pius in primis, vt peſtilentiæ vulnus accepit, ſacerdote altero aduocato, canere iucunde cœpit Auguſtini Ambroſijq. canticum præ lætitia. cum autem virium languore, fuſus ſine mente ſenſuq. iacuiſſet, vbi reſpirauit, admotoq. medicamine ad ſeſe redijt, conuerſus ad Patrem, me miſerum, inquit, cur in beatorum cœtũ tã ſuauiter properantẽ reuocaſti? cui cũ pater illacrymans reſpondiſſet, fore vt quod iuſtã haberet moram, minime tolleretur; adhuc enim eius operam vſui Societati futuram: Quid, inquit, te feliciores lu ges? alios ſequi decet, qui in cæleſte illud ſunt cooptati collegium, meæ quidem diſſolutionis imminet dies. Cumq. id habuiſſet in votis, pijſque precibus poſtulaſſet, vt quo die Chriſtus egiſſet animam, eo ipſe quoq; ageret ſuam, dignus fuit, cui in eum diẽ mors diuinitus extraheretur. Sed non mirum eſt, quatuor è noſtris peſtilentia fuiſſe ſublatos, quæ ad quatuor hominum millia ex externis abſumpſit. Interim ſocij noſtri dum ſuis fungi muneribus minus commode poſſunt, ſatis tamen in eo lucri putantur facere, ſi moderate ferant aduerſa. Non tamen à gerendis rebus omnino vacant. miſſi ſunt in hæreticorum lo-

ca

ca nonnulli, quorum concionibus, nec ex hæreticis ad Catholicos, nec è Catholicis ad vſurpanda diuina myſteria pauci perducti ſunt. Fremunt hæretici, atque huc & illuc ſe verſant: & vt ad ineundũ de religione certamen Catholicos glorioſe laceſſunt: ita vbi ſerio res agitur, & ad pugnam ventum eſt, pugnam ipſam turpiter abnuunt.

AVGI qui falſis rumoribus de Societate minus commode ſentiebant; ij poſtea exploratis perſpectiſque rebus, eius opera tam libenter vtuntur, quam ante alieni erant ab ea. atque hæc cauſſa fuit, cur hoc anno, præter conſuetudinem, pœnitentiũ ac communicantium celebritas aucta ſit. Veteres porro inimicitiæ depoſitæ ſunt, adhibitaq́. deſperatis animis medicina, & qui ſecum ipſi gerebant inimicitias, animamq. & corpus perdere iam decreuerant, ab illa inſania furoreque retracti.

# PROVINCIA AQVITANIA.

FVerunt in Aquitania Prouinciæ ſocij centum ac duodecim. In Collegio Toloſano vndequinquaginta. In Burdegalenſi ſeptem & triginta. In Mauriacenſi decem. In Rhutenenſi ſexdecim. Vita functi ſunt quatuor. Ad ſocietatem ſexdecim aggregati.

## TOLOSANVM COLLEGIVM.

QVi ſit laborum fructus in Toloſano Collegio frequens ſacramentorum vſus oſtendit. Eorum qui Euchariſtiæ myſteria tractant celeberrimis quibuſq. diebus octingentorum numerus eſt: idque fit â multis ea ſignificatione pietatis, vt pijs ipſorum lacrymis ad idem ſtudiũ, qui eos inſpexerint, excitẽtur. Puella quædam cũ ex obeundis diuinis apud nos myſterijs didiciſſet, ſe caſtam integramq. ſeruare; ne ſibi à petulante adoleſcente vis inferretur, ex editiore loco ſe præcipitem egit, multo magis caſum animi, quam corporis reformidans: ſed tamen diuina tutela caſtitatem corpuſq. ſeruauit. Magnum ad tollenda vitia præſidium, confeſſionum miniſtri fue-

re.

re. Femina nobilis cum viri moleſtias aſperoſq. mores diutius ferre non poſſet, ſtatuit ſe in profluentem præcipitem dare; ſed ter id fruſtra conata, venenum coniugi parat; quod cum vim nullam haberet, conſilium de eo prodendo Caluinianis graſſatoribus capit. Interim diuino inſtinctu permota venit ad noſtros, ſacerdoteq. cui confeſſa eſt auctore, ſtatuit Dei cauſa omnes illas moleſtias turbaſq. domeſticas libenti animo tolerare. Alius quamuis gereret inimicitias, à frequentandis tamen templis conſuetiſq. precationibus non diſcedebat; ſed vnam precationem Dominicam, cum ceteras poſſet, ſeptē circiter menſium ſpatio recitare non poterat. re cum Sacerdote noſtro communicata, de eius ſententia conuenit inimicum, ab eoq. non quidem ab offenſo, ſed ab eo, vnde ipſe offenſus eſſet, veniam poſtulat: factaq. reconciliatione gratiæ, ad eam quoq. precationem lingua ſoluta eſt. Æris argentiq. vis magna, ad eos vnde fraus ademerat, rediſt. ab inſigni quidem fœneratore librarum argenti quinque millia, hoc eſt aurei mille ſexcenti ac ſexaginta ſex, ab alio mille, & ab alijs alia complura. Ab hæreſi diſceſſere permulti, & quod admirabile eſt, puella quædam, quæ omnes hæreticorum argutias argumentationeſq. callebat. Effectum præterea eſt confeſſionum concionumq. beneficio, vt virorum mulierumq. licentia in cœnobia virginum penetrantium reprimeretur. Et quoniam magnus fuit Caluinianorum graſſatorū numerus, qui pœna mortis afficiēdi erāt, curatum eſt etiam quoad fieri potuit, vt nemo

ex eo numero (quamuis id hominum genus ſit in primis pertinax) cum hæreſi plecteretur. Ex Gymnaſio ſua quoque vtilitas rediit. Religioſam diſciplinam ſequuti ſunt ex auditoribus quindecim, quinque autem ſe contulerunt ad noſtram. ex his quidã ante ſeptennium cum Societatis ineundæ voto ſe obligaſſet, idq. ſubodorati parentes eſſent, continuo eum à litterarum ſtudijs abducunt, & de nuptijs vehementer agitant. confecta pene res erat, cum ecce tibi diuino conſilio ſubita ſeſe mora interponit, & quod grauius eſt, vtriuſq. parentis interitus. Itaque cum ſe cerneret adoleſcens quibuſdam tanquam vinculis expeditum & permoleſtis conſcientiæ ſcrupulis angeretur, mittit ad nos, vt in Societate ſibi eſſe liceret inſidijs domeſticis liberato, admonituſque vt rem domeſticam ante componeret, idq. feciſſet, breui Societatis factus eſt particeps. Aliũ adoleſcentẽ cũ Pater huc veniſſet vt auerteret à propoſito, fracto in itinere brachio, domum ſe retulit: præclare doctus, quã ei diuina extimeſcenda ſit vltio, qui à diuino famulatu ſuos liberos retrahit. Duo vero cum aduerſos itẽ parentes haberent, ſimilem præ ſe tulere conſtantiã. Nã cũ Senatui Patres vt ſibi filij redderentur, libellos ſupplices obtuliſſent, Senatuſque rem quibuſdam Senatoribus commiſiſſet; Senatores par illud adoleſcentium è Collegio noſtro in quoddam cœnobitarum templum traduxerunt, eoſq. ſuis quæſtionibus diu ac vehementer exercitos, non prius dimiſerunt, quam planũ factũ eſt, eã adoleſcentibus mentẽ non artibus humanis iniectã, ſed à Deo fuiſſe donatam.

BVR-

## BVRDEGALENSE COLLEGIVM

BVrdegalæ, confitentium & communicantium magnus eſt in æde noſtra concurſus. Confeſſionis autem medicina multi animorum curati ſunt morbi, multa vlcera perſanata. Vnus Sacerdotis noſtri monitis eſt adductus, vt duo aureorum millia quæ male pepererat reſtitueret. atq; id ipſum factitatum ab alijs. Mulier, quæ trigeſimum iam annum ſui viri cædem, vigeſimum autem celauerat adulterium, concionibus permota noſtris, non modo ſuum in confeſſione dedecus ac ſcelus aperuit, verum etiã vltro promiſit, ſe diuturnos fœnoris fructus, quod multum temporis exercuerat, reddituram. Adoleſcens cum ad diſcendas litteras minus valeret ingenio, ſæpeq́. à doctore vt auditor negligens vexaretur, ecce tibi anxio mœrentiq., humana ſpecie dæmon nigro oris habitu, ſcientiã ei pollicetur eiuſmodi qua non modo condiſcipulos (modo ei ſeſe dedat) ſed ipſum quoque magiſtrum longo ſuperet interuallo. Adoleſcens cum Sacerdote, qui ei erat à confeſſionibus rem communicat, eoq. præſidio facile artes dæmonis & conatus eluſit. Alteri adoleſcenti ceruices ſe fracturum minitatus eſt dæmon, ſi aut Ieſuitarum ſcholas adiret, aut ſuum eis pectus aperiret: is tamen rem vniuerſam ad Sacerdotem noſtrum cum detuliſſet, minantis vires debilitauit ac fregit. Idem humanæ ſalutis hoſtis, cum cuiuſdam in Chriſti fide conſtantiam labefactare ac conuellere

cona-

onaretur, ampliſſima diuitiarũ ſpe propoſita (erat nim à fortunis inops ac nudus) vt Chriſtum abnega et vehementer vrgebat. adfuit repente bonus An- elus, cuius recreatus aſpectu, malum dæmonem ſa utari crucis ſigno fugauit. Is cum veniſſet ad noſtros & rem Patri, cui confitebatur aperuiſſet, in ani- num induxit, non modo fidem Chriſto ſeruare, ſed tiam in perpetuum penuria ipſa contentus ei vni acare. Alius item familiarem dæmonem, qui domi niſcebat omnia (nam & deijciendis in terram homi ibus, & crebris lapidationibus moleſtiæ plurimum xhibebat) de Sacerdotis noſtri ſententia, ſacramẽ- is confeſſionis communioniſq. perceptis, à ſe ſuiſq. edibus propulſauit. Gymnaſium auditorum celebri- ate floret, ex eoque numero ad ſpecioſum magiſtri radum plurimi promouentur. Nec inter eos po- remas obtinet pietas. Nobilis adoleſcens cum à arentibus vrgeretur, vt noſtrorum diſciplina re- cta, in aliud ſe Collegium diſciplinamq. transfer- et, non modo flecti nulla ratione potuit, ſed cum de atris cognouiſset aduentu, ne ab eo, vt ille decre- erat, abduceretur, apud Catholicum tantiſper la- uit, dum ille recederet: quadrageſimæ vero diebus um oua ei inter dapes apponerentur, in miniſtro- um caput illa reiecit, fremente hoſpite ac ſtoma- hante. Alius item nobilis adoleſcens in conuiuio t Societatis famam contra concionatoris hæretici robra ac maledicta defenderet, iras Senatoris auũ- uli propter quem accubuerat, ſubire non dubita- it, ab eodemq. acceptum contumelioſe pugnum

*æquiſſimo animo tulit. Adoleſcens vix quindecim natus annos, quoniam diebus Sabbathi carnes tantum inferuntur in menſam, annum iam integrum & eo amplius, arido ſe pane ſuſtentat. Alij etiam ad vniuerſæ fere Quadrageſimæ victum, panem duntaxat & aquam adhibuerunt. Omnino ſunt auditores noſtri, quamuis medios inter hæreticos poſiti, hæreticorum tamen hoſtes acerrimi. quicquid librorum ex eo genere in manus venerit, id concremandum ſuis præceptoribus tradunt. magiſter vnus paucis menſibus ducentos a ſuis ac triginta libros, partim hæreſi, partim impudicitiæ labe notatos accepit, alter centum: quos ignibus tradidere. Cernitur etiã huius iuuentutis ardor in amplectendo cœnobio: nam cum multi modo ad hos modo ad illos ſe transferunt cœnobitas, ad Societatem recepere ſe ſeptem. fueruntq. qui & nobis & parentibus inſcijs, ad abſentem Prouincialem pedibus irent. quod tamen cum animaduertiſſent parentes per expeditos equites ex itinere reuocarunt.*

## RHVTENENSE ET MAVRIACENSE.

*QVod ad pœnitentium numerum pertinet, ne Rhuteni quidem eſt deſiderata celebritas. Auditæ vniuerſæ vitæ confeſſiones fere trecentæ, & tum confeſſionum tum concionum opera aliquot ad religionem Catholicam ab hæretica prauitate conuerſi. Nec pauci ad ius ab iniquitate traducti. Fiduciarius quidã, quales iam multi viſuntur audita*

ta concione cum eum, qui Sacerdotij fructus col-
gebat adiſſet, Nolo inquit amplius tibi fiduciarius
ſe. cum ille vt res paululum differretur rogaret,
ertum eſt, inquit, cibum non prius capere, quam vt
oc conſcientiæ onere leuer. Mitto gratiarum re-
nciliationes, eaſq. multas & graues, eorũ præſer
m, qui poſtea teſtati ſunt, mortem ſe millies oppeti
ros, quam reconciliatæ pacis iura rupturos. Vẽ-
tant ad ſcholas noſtras adoleſcentes circiter ſeptin
nti, qui cum ſint ad pietatem valde propenſi, in
orum gratiã inſtitutũ eſt Deiparæ Virginis ſoda-
ium. Tres nomina Societati dedere. nec deſunt,
ui ex alijs quoq. cœnobijs, noſtris ſe meditationi-
s excolant, eaq. eſt inter noſtram & aliorum fa-
iliam tum conſuetudo tũ amicitia, vt appareat
s quamuis non ſub eodem ſigno, ſub eodem tamen
nperatore Chriſto mereri.

MAVRIACI interdũ non minores corporibus
rationes, quã animis admouẽtur. Nam cereæ
ni cœleſtis imagines, & muliebres pariendi labo-
s, & alios morbos ac pericula propulſarunt. itaq.
ultis familiare iam eſt, vt ægrotare cum cœperint,
nos ſtatim ſalutaris remedij cauſſa confugiant.
ris inter diſſidentes conciliata pax eſt. Exibant
more noſtri in proximum pagum, vt Catechiſmo
des populos erudirent, cum eo ciues è duabus ci-
tatibus capitali odio diſſidẽtes conuenerant. res
n ſine magna cæde, non eorũ modo, qui armis inſt-
cti iam erant, ſed etiã ſpectatorũ, qui religionis
uſſa confluxerant, videbatur tranſigi poſſe. tym-

*pano ſignum dabatur ad pugnam, & funeſtæ prolu-ſionis loco, frequens vtrinq. ſclopus explodebatur non tulit Deus, qui eo noſtros vel inſcientes impule-rat, vt tot animarũ iactura fieret. ſociorum ſtudium incendit, & charitatem illam alienæ ſalutis, quam i eorum pectoribus ac medullis ingenerat, excitaui itaq. ſeditionem illi tollere aggreſſi tandem Deo d ce conſecuti ſunt, vt poſitis vtrinque armis ami abierint, qui acceſſerant inimici.*

## MISSIO VASCONICA & Agennenſis.

IN duobus Vaſconiæ oppidis, vbi diu aliqui e noſtris hæſerunt præter cetera, reuocata eſt v tus illa conſuetudo ter ſalutandæ quotidie cœli te ræq́. Reginæ. Dataq́. opera, vt multi, quibu vel Sabbatho vel ſexta feria vetitæ eſcæ religio ni non erant, ab ijs in poſterum temperarent. Et v aqua benedicta, cuius vix vllus erat in templis vſu in priuatis quoque domibus & cubiculis appareret Xenodochium quoniam neglectum & deſertũ pro pemodum videbatur, effectum eſt, vt quo plures a ciperet hoſpites, lectorum numero augeretur. In mici etiam reconciliati & catechiſmo inſtitutus e populus, & alia eiuſdem generis facta permulta.

AGENNI, quæ Epiſcopalis eſt ſedes, tres d noſtris toto ferme anno verſati ſunt. Agennenſiu autem ea eſt in noſtros homines familiamq. proper ſio, vt priſtinam illam de exſtruendo nobis Colleg

volun-

oluntatem, non modo non abiecerint, verum etiam
uxerint. profuit ei rei Reginæ Nauarræ tũ cohor-
tatio ad ipſos ciues, tum in Societatem noſtram be-
eficentia. nam & ad templum exædificandum non
nediocrem pecuniæ ſummam dilargita eſt, & futu-
o Collegio annuum decreuit argentum: pia femina
uandiu ſacramenta apud nos obijt, obijt autem fre-
uenter, magno fuit ad id ipſum ceteris ciuibus inci-
mento. Ex hæreticis non pauci dedere manus &
rere cœperunt Eccleſiæ, cuius imperium detre-
abant. Sublata inter Catholicos etiam eſt veſcen-
carne libertas. Et quoniam multa ſuperſtitionum
nera in plebẽ dæmon inuexerat, fuſe de ſuperſti-
onibus diſputatũ; tanto cum eius eccleſiæ compen-
io, vt Parochus rogarit Epiſcopum, vt ea de re con-
o ſæpius haberetur à noſtris. In hac vrbe ſtatim ac
acerdos noſter diuinæ legis præcepta explanare
publice cœpit, tantus factus eſt virorum mu-
lierumq. concurſus, vt Caluinianus Mi-
niſter, qui per idem tempus con-
cionabatur, Catechiſmũ no-
ſtrum, ægrius ſe fer-
re diceret, quã
conciones.

# PROVINCIA LVGDVNENSIS.

*SEptem in hac Prouincia ſunt domicilia: Socij centum & octoginta quatuor. In Lugdunenſi Collegio duo & viginti, in Turnonenſi ſex & triginta. In Auenionenſi quatuor & quadraginta. In Billomenſi quinque & viginti. In Camberienſi duodecim. In Diuionenſi viginti. Dolæ tres & viginti. Vita exceſsit vnus. Ad Societatem acceſſere quatuor & viginti.*

## LVGDVNENSE ET TVRNONENſe Collegia.

*LVgduni præter ea, quæ de more geruntur, quidam Lutheranã hæreſim in omni vita ſectatus, cum in morbo grauiſsimo â Sacerdote noſtro inuiſeretur, inductus eius monitis eſt, vt ad mortem ritu ſe Catholico cõpararet. Quare non ita multo poſt magna cũ ciuitatis gratulatione, tũ ſua incredibili voluptate deceſsit. Itum præterea frequenter ad pagos. hæretici in eis ad Catholicam religionem vocati nonnulli, Sacramentorum excitata frequentia, ſolo æquata templa vel pene diruta; reſtituta: &*

*alia*

lia de genere eodem cum vtilitatis laude perfecta.
TVRNONI res litteraria viſa eſt ſi non audi-
oribus, certe fautoribus augeri. Viri principes cum
uc frequentes ad ſtata comitia conueniſſent, cre-
ris tum præmiorum ac dialogorum ſpectaculis, tũ
lijs diſcipulorum exercitationibus delectati, eo in
os incenſi ſunt ſtudio, vt alijs inſtituendis fundan-
iſq. ſcholis annuos reditus attribuerint. ijdem cũ
omino Turnonio vehementer egerunt, vt hæreti-
orum quoque filijs, qui partim ne Catholici fierent
parentibus probibebantur, partim noſtris legibus
rcebantur, liber pateret acceſſus. Ille vero etſi nul-
i dedit in præſentia reſponſum, noſtris quippe non-
um conſultis, vbi tamen eos ea de re admonuit, ve-
iendi poteſtatem fecit, modo nec ante decimũquin-
um annum Catholicorum legibus aſtringerentur,
& tamen pædagogis Catholicis traderentur. Etenim
dicto quoque Regio libertas datur, & vſu didicere
m noſtri, puerulos non modo ipſos veritatem ſtu-
oſe complecti, ſed ſuos quoque parentes ad eam
litos reuocare. Iam cum doctrinarum ſtudio cer-
uit pietatis ardor. Adoleſcẽtes octo egregijs ani-
i naturæq. donis inſtructi, ſeſe Societati noſtræ per
euotionem addixerunt, ac niſi per ædium ſtaret an-
uſtias, multo plures recepti iam eſſent; tanta eſt
orum, qui id flagitant multitudo. Ex his vnus dum
e Societate ſedulo cogitat, magnum ſuſcepit cum
arẽte certamen. nam dum nihil paternis minis pre-
ibuſq. concedit, pater inuitum filium nuptiarum
ocietate deuincit, ſolumq. in cubiculo cum futura

ſponſa concludit. Sed cum omnia virtus iuuenis ſuperaret, pater vt ad vltimum remedium, deſcendit ad verbera: ille vero tantum abeſt, vt aliquid ceſſerit de ſententia, vt tanto in ea firmius ſolidiusq. perſtiterit. Miles hæreticus cum ad nobilem quendam hæreticum pergeret, vt in eius comitatum admitteretur, a recto itinere Dei nutu digrediens, Turnonem appulit: cumq. ad Collegium mox veniſſet, vnam ex inferioribus ſcholis ingreſſus, vbi tum pueris rudimenta chriſtianæ legis explanabantur, paulatim animo commutari ſe ſenſit, & ſtudendi cupiditate quadam incendi: miſsis ſcholis rem cum magiſtro communicat, ab eoq. multo excitatus ardentius, continuo ad litteras animum adijcit, expiatisq. confeſsione peccatis, ad Catholicos ſeſe aggregat; neque hac vulgari vita contentus, maius aliquid perfectiuſque molitur. Pari cum vtilitate luſtrati ſunt pagi. Vicus quidam adeo hæreſi erat infectus, vix vt vnus aut alter in eo Catholicus inueniretur, ſedulus noſtrorum labor obtinuit, vt vix quiſquam reperiatur hæreticus. In alio pago cum Miniſtris hæreticis initum eſt de Religione certamen, editiſque libellis ſic eorum obſtructa ſunt ora, vt iam fracti ac debilitati quieſcant. Sacerdos alius varijs concionatus in locis, nouem circiter hæreticos ad læta domini paſcua cauláſq. reduxit; in ijs medicum non minus opibus quam litteris locupletem. Hic diu atheos, poſt Caluiniſta, ad extremum Catholicus per noſtros factus, coram multis quos ipſe deceperat, hæreſim eiurauit, ab ijſque, multitudine inſpectante, veniam petere non dubita-

bita-

bitauit. In morbum cum incidiſſet, multis ad ſe ve-
nientibus (erat enim de primarijs) verbo & exem-
plo non mediocriter profuit. cum Sacerdos noſter
diſcederet, velut ipſe quoque diſceſſurus eſſet è vi-
ta, domeſticos conuocauit, eos etiam atque etiam ob-
teſtans, qui per hæreſum ſaltus errarent, ad ouile ſe
Christi referrent: ſtatimq. ingraueſcente morbo vo-
cem amiſit. Sed aliquo ſpatio temporis interiecto cũ
eum noſter reuiſeret, loquendi facultate recupera-
ta, Patriſq. prehenſa manu; Te (inquit) vnum expe-
ctaui, qui mihi natus es ad ſalutem. tibi pro tuis in
me officijs ac meritis ago gratias, Deumq. vt ipſe re-
ferat obſecrabo, nec ita multo poſt, Deo ſe ipſe com-
mendans exceſſit è vita. Eiuſdem Sacerdotis ope-
ra, ſex menſium ſpatio homines ſexaginta, qui nec
Catholicis nec hæreticis adhærebant, ad Catholico-
rum numerũ ſunt adiũcti: qui vero minus in religio-
ne ſibi conſtabant confirmati ducenti. Ciuitas quæ-
dam hæreſibus notatiſsima, vbi conciones Pater ha-
bebat, indicta ſupplicatione multis paſſuũ millibus;
id quod ante quintum & vigeſimum annum factum
nunquam erat, longo virorum ac mulierum agmine
proceſsit ad pompam. Ac per eam occaſionem gra-
ues ſedatæ ſunt rixæ. Mulieri nobili, filius magnam
auri vim abſtulerat, & ad materna furta aliorum
domeſticorum adiungebat iniurias. hunc ergo mater
quoniam continere in officio non poterat, remis vo-
lebat addicere; ſed noſter ille, quem dixi, diuina fre-
tus ope, hortatus omnes, vt ſolemni quadam pecca-
torum confeſſione animos expiarent, perdito iuue-
ni,

*ni,vt à matre ceteriſque quos læſerat veniam petere‑ret,perſuaſit.*

## BILLOMENSE, CAMBERIENSE, & Dolanum.

B*Illomenſe gymnaſium finitur auditoribus mille ducentis; nec deſunt, qui ex eo numero ad nos ſe transferant: cumq. id multi percupiunt, tum conſequuti ſunt tres.*

*CAMBERIACI, erat vir Senatorij ordinis non procul à morte, ſed vt eſt aulicorum conſuetudo, admonere herum ſui diſcriminis auſus eſt nemo. noſtri ad ægrum admiſſi, non modo ei quãto in diſcrimine verſaretur oſtendunt; ſed ita & conſilio & precibus præſto ſunt, vt nemo ad mortem paratior acceſſiſſe videretur. Euchariſtiæ viaticũ cũ deferretur, repẽte è lecto proſiluit obuiãq. proceſsit, adeoq. pie de religione Catholica ad eos, qui circumſtabãt, diſputare cœpit, lacrymas vt multis excuſſerit. Libros etiam è bibliotheca minus Catholicos, ne cui poſt obitum ſuum fraudi eſſent, aſportandos curauit ad nos, vt comburerentur: denique venia à domeſticis poſtulata, ſi qua in re quempiam offendiſſet, obdormiuit, vt ſperatur, in Domino. In eo quoque noſtrorum videtur opera profuiſſe. Tanta nuper ex perpetuis imbribus extitit inundatio, vt totius pene vrbis viæ, fluuiorum inſtar decurrerent; cumq. diuturnæ pluuiæ nullam moram interponerent, ciueſq. in ſummis ædibus velut obſidione quadam tenerentur; iumenta vero, quæq. in tabernis merces, quæq.*

in

in cellis erant cibaria, aquarum prope fluctibus interirent: tota ciuitate ſtupente, vnus è noſtris conſcenſo equo per inundantes aquas conuenit magiſtratus, hortaturque ſi ciuitatem velint incolumem, ad placandum ſe numen cæleſte conuertant: Magiſtratus quicquid ille vellet iubendi ſciſcendiq. poteſtatem faciunt. Pater trium dierum ſupplicationes, ieiuniumq. ad auertendas diuinas iras inſtituit; nec ita multo poſt imbrium remitti vis cœpit. Curatum eſt publicis & priuatis cohortationibus, vt Sanctiſsimum Chriſti corpus, maiore tum luminum tum comitatus ornatu deferretur ad ægros; quæ res vt Catholicis voluptatem, ita inuidiam hæreticis peperit: quidam enim ex ijs frēdens continere ſe non potuit, quin identidem ſcandalum exclamaret. Sed vt ipſemet Princeps, Sabaudiæ Dux, Catholicæ pietatis defenſor egregius tam pium inſtitutum ſua interdum præſentia confirmaret, effectum eſt: & quidem aliquando venit in templum, & vmbellam, ſub qua deferebatur Euchariſtia, à ſuis geſtari ac ſuſtineri voluit: ipſeque venerabundus, Chriſti corpus totumque agmen euntium ac redeuntium Sacerdotum proſequutus eſt. aurum etiam in eleemoſynam contulit, vnde cenſus aliquis comparetur, quo cereæ faces reliquuſq. in hunc vſum apparatus poſſit eſſe perpetuus. Atque hæc ſatis de Camberienſi Collegio, ſi tamen illud addidero, annuum Collegij cenſum non mediocriter auctū eſſe, nam Prioratum Abbas quidā nobis attribuit, & quandiu vita ſuppetit certā quotannis pecuniam.

D O-

DOLAE auctus eſt Collegij numerus, cœptæq. conſcientiæ explicari quæſtiones. Qui nobis dant operam, quingenti circiter numerantur: atque is numerus quotidie creſcit, præſertim quod exedræ recentes ædificãtur. Et quo commodius ſit iter ad ſcholas, ciuitas tum vias quaſdam muniendas, tum longiſsimam porticum extruendam ſuis ſumptibus curat. Plerique iam crebrius tractant diuina myſteria. Sed quo minus ſint plures, tum loci faciunt anguſtiæ, tum Sacerdotum penuria. verum breui ſperamus exſtructum iri templum, ad eamq. rem quatuor francorum millia, hoc eſt aureos mille trecentos & triginta tres, Rex liberaliter erogauit.

# PROVINCIA BELGICA.

OBijt Belgicam hoc anno Prouinciã P. Oliuerius Manareus, eo conſilio miſſus a P. N. Generali, vt repreſſo iam hæreticorum furore, Belgicíſq. rebus ferme compoſitis, Collegia Societatis inſpiceret. Itaque eius aduentu ſuſtuliſſe videtur oculos hæc Prouincia, quæ iam dudum afflicta bellis, amiſſisq. ſtrenuis de Societate viris ipſa temporum iniquitate ita iacebat, vt ægre ſeſe aliquando erigere ac reſpirare poſſe videretur. Ac præter ceteras calamitates, omnia ferme Collegia incredibili premebantur inopia, multiq. ob eã cauſſam adoleſcentes rebus omnibus ornatiſſimi, qui Societatis ſtudio flagrabant in noſtrum numerum admitti non poterant. eo autem durior erat egeſtas, quod nulla ſe ſpes leuationis aperiebat. Editum erat Carolo V. Imperatore, ab Ordinibus (ab his enim rerum ſumma pendet in toto Belgio) Senatus Conſultum; quo cauebatur, ne vel ad Eccleſiaſticos homines bonorum poſseſſio perueniret, vel vlli Religioſorum ordini domum aut familiam in his regionibus obtinere Regio ſine conſenſu liceret. ita nullus amicorum benignitati locus relinquebatur. Ergo in eo maxime ſibi elaborandum eſſe

P. Vi-

P. Viſitator exiſtimauit, vt eo decreto ac lege, quæ tantopere noſtris ſtudijs conatibuſq. refragabatur, noſtra Societas ſolueretur. totaq. re Deo precibus commendata, cum Parmenſi Principe, cui ſemper gratiſſimus fuit, agendum cenſuit. expoſuit illi omnem inſtituti ac diſciplinæ noſtræ rationem, tantumq. ſuo labore induſtriaq. perfecit, vt rebus diligenter expẽſis de communi ſententia Priuati Brabantiniq. Conſilij, ceterorumq. Ordinum, in has denuo Prouincias ſit admiſſa Societas. neque modo data eſt ea, quæ petebatur, exceptio, ſed etiam libere vtendi poteſtas ſuis iuribus ac facultatibus. Tum primũ igitur reſpirare in Belgio viſa Societas eſt. tum aggregati fratres amplius triginta idonei omnes & ad Societatem quodammodo facti: reſtituta præterea Brugis Societas ipſa, vnde annos iã aliquot exulabat: conſtitutum recens Collegium Ipris: iacta fundamenta futuri Collegij Valencenis: ſuſcepta Reſidentia Gandaui. multa Collegia & fratrum aucta numero & ſcholarum. Sunt enim quaſi quædam ex noſtris diſcipulis ſeminaria: Louanij quidem Theologorum, Audomari Rhetorum, Leodij eorum, qui conſcientiæ cognoſcendis rationibus operam dent, inſtituta: ex quibus idoneæ quotannis operæ in omnem Chriſti vineam dimittantur. Sed cũ externæ rei diligens habita ratio eſt, tum interioris & diuinæ præcipua. Domi quidẽ nihil, quod ad perfectam virtutis officijq. rationem faceret, prætermiſſum eſt. Itaq. quod reliquam hoc anno Societatem feciſſe diximus, vt ſe quiſque noſtrarum medi-

tatio-

*tionum exercitijs ad pietatem exacueret, & diuino ſpiritu quodammodo renouaret, id hic multo rdentius ab vno quoque noſtrum( ſic enim huius rouinciæ ſtatus exigebat ) ſuſceptum eſt. Foris utem inducta ab eodem Viſitatore Catechiſmi onſuetudo eaq. tum vulgo ardentibus recepta udijs, tum a Magiſtratibus decreti auctoritate omprobata, graui propoſita multa, ſi quis è Ludiagiſtris Catechiſmi explanationibus cum ſuis autoribus non interſit. Diebus feſtis excurſum ad nimas in pagos eſt, habitæq. de more conciones mao paganorum concurſu. Atq. hæc potiſſimum, uietis iam rebus, Viſitatoris aduētu perfecta ſunt. Numerantur in hac Prouincia Societatis Collegia ptem, Louanienſe, Duacenſe, Audomarenſe, Tractenſe, Brugenſe, Leodiēſe, & recens Iprēſe. Dous Probationis vna Tornacenſis. Reſidētiæ tres: alencenis vna, altera Gandaui, tertia Cortraci: requa duo Collegia Cameracenſe & Antuerpienſe ſtituta nondum erant. Quot autem de noſtris in uoque loco verſentur, litteræ non ſignificant. nam uæ ex hac Prouincia perlata ſunt, ea temporum vio adeo mutila & manca ſunt, vt plenos fructus hariſſimorum fratrum guſtare non liceat. Nos uæ accepimus, ea reddimus. quanquam ſi verum uærimus plura reddimus. nec enim nobis ipſi deſſe potuimus, quo minus has inchoatas & dimiutas litteras, ex ijs qui res aliunde norūt, & explorate norunt, quodammodo ſuppleremus.*

COL-

## COLLEGIVM LOVANIENSE & alia quædam.

*Louanij pauciores ſolito de Societate fuerunt, in tantis enim præliorum incommodis, tam turbulentis afflictiſq. rebus, noſtri ſat habuerunt non modo ſuas tueri ſedes, ſed etiam vitas & corpora. Tamen in tantis calamitatibus animorum ſaluti non mediocriter profuerunt, partim ſacramentorũ adminiſtratione, partim ſuis obſequijs, luſtrandiſq. tum cuſtodijs publicis tum xenodochijs. Nutrit enim hæc ciuitas valetudinarium peramplum, quo frequentiſsimi ex Regio exercitu inopes curationis cauſsa conceſſerant, quibus noſtri per emendicatas pecunias fuere ſubſidio. Cumq. domus hoſpitalis tãtam ægrorum turbam capere nullo modo poſſet, non modo tectorum opportunitate apud pios homines proſpexerunt, ſed ipſi quoque non paucos ſuas in ædes acceperunt, quos paucorum curatione dierum, valentes atque incolumes dimiſerunt. His officijs æquos pariter & iniquos valde ſibi Societas obligauit. Itaque cum in maximis periculis, & omnium rerum inopia, ne Religioſorum quidem ædibus militum parceret inſolentia, à noſtris tamen ſeſe foribus non ſine ingenti ceterorum admiratione continuit.*

*A DVACENSI Collegio, alteræ quoque acceptæ ſunt litteræ: nos ex vtriſque, quod viſum fuerit ſeligemus. Triginta in hoc Collegio verſantur. In nouem vrbis partibus Catechiſmus cœptus eſt explanari.*

ari. res adeo noua atque inuſitata ciuibus, vt viri
tiam ætate prouecti, nunquam ſe quæ in ea expla-
atione traduntur, audiſſe confirment. Gymnaſij
umerus etſi partim erat peſtilentiæ periculis, par-
m bellicis tumultibus imminutus; ſenſim tamē Deo
iuuente redintegratur. Sexcenti numerantur au-
itores, in iiſq. eximiæ indolis adoleſcētes, & ad pie-
atem ſua ſponte propenſi. Eſt ad inſtituendos hu-
us generis adoleſcentes, Dei Matris ſodalitas, in
uam vniuerſum fere Gymnaſium nomen dedit.
robro enim vitioq. vertitur, ſi quis in eam non ſit
dſcriptus. Ex hac autem ſodalitate tanquam ex
no fonte, duæ fluxerunt aliæ, altera in quam gra-
iſſimus quiſque recipitur: altera ſeuerioribus
ſtricta legibus, in quam nemini patet aditus, niſi vel
eligioſis Cœnobitis, vel qui ad perfectam abſolu-
amque virtutem animum adiecerint. atque horum
artes ſunt, veterum Monachorum diſciplinam imi
ando referre, quantum & natura loci, & hominum
onditio patiatur.

AVDOMARI, præter ceteros laborum fru-
ctus, hæretici tres ab errore pertinaci reſipuerunt.
Auditores Gymnaſij ſexcenti circiter numeran-
ur: habetq. ſuos fructus Sodalitas Dei Matris: in
amq. adſcribi Epiſcopus cum Canonicis voluit, vi-
iſq. primarijs. Sodales autem ita ſuæ ſaluti ſtu-
ent, vt cum ſeſe offert occaſio, non negligant alie-
am. itaque alius alium ad nos adducit, & ad æter-
æ vitæ ſtudium inuitat.

## BRVGENSE COLLEGIVM & alia.

*BRugas, expulſa ab hæreticis ſexennio ante Societas, hoc deniq. anno, vt diximus, quo in ditionem Philippi Regis ciuitas rediјt, ipſa quoque reuocata eſt; idq. tum procerum poſtulatis, tum Regiј Conſiliј Præſidis beneficio. Cum autem reuocati noſtri & antiquarum ædium & rei familiaris anguſtias obiјcerent, tributa ијs eſt à Summo Pontifice, Rege ipſo petente, Abbatia quædam vrbi vicina, quo rerum gerendarum cauſſa Sacerdotes miſſi ſunt aliqui. Ne hic quidem adoleſcentes deſunt egregiј, qui Societatis ineundæ ſtudio teneantur. Adoleſcēs paternorum bonorum vnicus hæres, pluris hæreditatem ducens æternæ vitæ, quam fluxæ atq. mortalis, Societatem habere cœpit in votis. Is vix tredecim natus annos, & in ciuitate ſuſceptus hæretica, vt hæreticorum Miniſtro operam daret; nullis neque minis, neque blanditijs adduci potuit. Miniſter, patria accepta poteſtate, virgis eum verberibuſq. compellere, grauiter obiurgare, nihil intentatum relinquere vt obſequentem ſuis dogmatibus faceret. ſed quanto ille vehementius puerilem animum fatigabat, tanto puer magis contra Miniſtri obfirmabatur inſaniam. Duaco vrbe proximis annis à Philippo Rege recepta, ſtatim ad Societatis collegium eò ſe contulit: vbi eos habuit & in litteris & in pietate progreſſus, vt qui eum de facie norit,*

*nun-*

nunquam tantum illi tribuat ætati. Puer in ampliſ-
ſima fortuna ab iis omnibus abhorret, quibus non
illa modo ætas, ſed etiam corroborata capi ſolet.
Pædagogum habebat vitæ ducem atque cuſtodem:
ſed ab eo non tam ipſe hauſit viuendi præcepta, quã
dedit. magiſter enim præclaro diſcipuli inuitatus
exemplo, Societati noſtræ ſe addixit. Ad Conuiuiũ
aliquando vocatus, cum ab immoderatis eſcis ac po-
tationibus abſtineret, nec imitaretur diſſolutam con
uiuarum licentiam, amici tantam non ferentes ſe-
ueritatem, quid agis, inquiunt, Ieſuita nobis hodie
videris. Tum ille, quid tum poſtea, ſi quando futurus
ſim Ieſuita? atqui ſcitote me propediem fore. admi-
rabilis animi magnitudo, tali præſertim in vrbe, tali
in ætate, tales apud amicos & propinquos, qui cum
de religione male, tum de Ieſuitis peſſime ſentiebãt.
IPRENSE, vt dixi, Collegium nouiſſimum eſt.
Eius conſtituendi vehemens auctor fuit Marti-
nus Rictouius Iprenſis Ciuitatis Epiſcopus. Is Pa-
tri Prouinciali ad aulam Regiam litteras dederat,
quibus Catholicæ Maieſtatis auxilium apud Sum-
mum Pont. poſtulabat, vt reditus quoſdam duorũ
Cœnobiorum, quæ deſerta iam erant, vna coniunge-
ret aſſignaretq. Collegio. Sed quanquam Epiſcopi
mors, eius conſilia præuertit, non tamen inanis fuit
viui conatus, nam in Regis poteſtatem Ciuitate reda
cta, deſtinati ſunt Ipras duo Patres ad iacienda fun
damenta Collegij. Qui cum trium circiter menſium
ſpatio, in ædibus cuiuſdam Parochi liberaliter ha-
berentur, cum tamen extrema fame Ciuitatem diu-

*turna vexaſſet obſidio, officiorum Societatis ſedula exercitatione, ita omnium ſibi animos adiunxerunt, vt quam primum inchoatum iam prope Collegium, promouendum cuncti decernerent. id quod ab ijs videmus re ipſa perfectum.*

*TRAIECTI quoque res Catholica proſpero curſu procedit. Ex decem armatorum ciuium millibus hæreticorum, trecentos tantũ (multis partim peſtilentia partim ferro deletis) ſupereſſe Dominus voluit. Nec modo Catholicorum numerus, ſed etiã religio ac pietas augetur. Senatus graui ſanxit edicto, vt cum ad ægros Sacroſancta Eucharistia defertur, eam vicini (id quod antea ne cogitabatur quidem) inſtructi facibus comitentur. Edixit etiã, ne quis ludum aperiat, niſi Magiſtratu conſentiente, & fidẽ ex vſitata formula ante profeſſus. Erant hic biennio ante, Grammaticæ ſcholæ duæ. eæ manent ambæ, & ad illas acceſſit tertia poetices. Magiſtratus oppidi, vt ſuum in Societatem animum declararet, præter cetera dona, ad amplificandum laxandumq. Collegium ædes ei proximas aſſignauit. Diſcipuli, qui vel ex remotis etiam oppidis huc ſe conferunt, non minus ad pietatis quam ad litterarũ ſtudia propendent. Quotidianum eſt autem & cum omnibus pene commune, ceteros etiam Sacramẽtorum cauſa ad nos allicere, ſuos domeſticos conſcientiæ diſcutiendæ & obſeruandi ſeſe, Miſſæq. audiendæ rationem cum vtilitate docere, iuriſiurandi execrandiq. conſuetudinem tollere, alios denique perniciosos mores ac vitia, ſuo exemplo atque oratione*

reci-

recidere. Ex his quidam ebrium militem, vxorem ſuam conuitijs ac verberibus male mulctantem, adeoq. furijs agitatum, vt ſtricto pugione quem ſors obuium obtuliſſet, inuaderet, blande primum aggreſſus, ſenſim ſuis colloquijs ad confeſſionem communionemq. perduxit. Catechesis feſtis diebus tanta auditorum frequentia traditur, vt bona pars aurem ſacelli feneſtris, oſtioq. admouere cogatur. Ea tribus alijs explanatur in locis, tintinnabulo pueris populoq. coactis. atque hoc præſidio, ſpes eſt fore, vt hæreſibus contaminata ciuitas, Deo adiuuante purgetur, præſertim collaborante Senatu & catechiſmi ſcholas obeunte; curanteq. vt quam plurimi ſemper veniant.

## LEODIENSE ET RELIQVA.

LEodij noſtrorum vigilijs ac diligentia ab hæreſi reuocati ſunt aliquot: fueruntq. noſtri tum Italis tum Hiſpanis, qui ex caſtris egeni confluxerant, non ijs tantum rebus quæ ad animi, ſed ijs etiã quæ ad corporis ſalutem facerent, adiumento. Templi res, & copia ornamentorum augetur & pretio. In reſidentia S. Seuerini, quæ biennio ante huic eſt adiuncta Collegio, non exiguo cum fructu noſtri verſantur. Pagi incolæ, quoniam domui pagus adiungitur, noſtriſq. ſubijcitur, quotidie magis ad morum modeſtiam & pietatem adducuntur. E locis etiam

*remotioribus ruſticorum turba concurrit, cum audiendæ concionis, tum purgandæ conſcientiæ cauſa. Sed potiſſimum bis in anno: Circuncisionis dominicæ ferijs, & Viſitationis Beatiſſimæ virginis: proximis autem Circuncisionis ferijs, ſexcentis amplius ſacroſancta Eucbariſtia miniſtrata eſt: præter ingentem eorum multitudinem, qui promerendæ tantum apud nos indulgentiæ cauſa, alibi ſacramenta percipiunt. Tenet eo die ſacroſancta communio ad horam vſque primam pomeridianam. ad id tempus alacres complures, & ieiuni perdurant, quamuis ex longinquis venerint locis. Die vero Viſitationi B. Virginis feſto, quam plurimi item longo itineris interuallo conueniunt, voti tantum perſoluendi cauſa, quod B. Eligio, quem in vno e templi altaribus venerantur, pie nuncuparint.*

*Admiſit Probationis domus TORNAcenſis complures hoc anno nouitios, ſed in his Sacerdotes octo, quorum vnus Theologiæ Doctor, eam ipſam aliquandiu in Academia Duacenſi Regio nomine profeſſus eſt.*

## CORTRACENSIS ET Valencenenſis ſedes.

*Cortracum, oppidum eſt in media Flādria peramœnum atque hilare, vt incolarum ingenia. Huc ſuperiore anno de Societate miſſi ſunt quinque vrgen-*

rgente & flagitante Senatu, qui noſtrorum alle-
tus officijs, ad Collegium animum vehementer
liecit. Excepit igitur venientes tecto percom-
odo, cum inſtrumento omni domeſtico pecuniaq.
vſus vitæ permulta. Aedibus adiuncti ſunt hor-
, ijque perampli & ab arbitris liberi. Obeunt no-
ri ſua quiſque munera magna ciuium tum volu-
tate tum bono. Senatus vt copioſæ iuuentuti pro-
iciat, quæ culturam deſiderat magiſtrorum, de
onſtruendo nobis Gymnaſio, ſi ita Prouinciali vi-
um fuerit, ſedulo cogitat. Clerus, humanitatem
nos ſuam non obſcuris ipſe quoque declarat in-
icijs. Copiam noſtris ſui templi fecit ad exſequen-
a Societatis munera. Traditur autem doctrina
hriſtiana pueris, ad eamq. illi vt etiam ad rem di-
inam, quæ apud nos peragitur, ex omnibus ſcholis
landricis ſtudioſe conueniunt.

VALENCENAS vt noſtri venirent, egerunt
er litteras apud Parmenſem Principem, Magi-
ratus viriq. primarij. Tertium iam morantur
ic annum, eoſque tum magiſtratus ſua liberalita-
e ſuſtentat, tum lautis eleemoſynis populus. Is
uemadmodum ad humanitatem & vrbanitatem
ptus eſt factus, ita hæreſi vſquequaque notatus.
Noſtri cum ſuſpicarentur initio, exceptum iri ſe
commatis & maledictis; accidit longe ſecus. nam
omnes ſeſe faciles præbuerunt, & qui Catho-
ici inter eos erant, tanto impenſius ſua in nos ſtu-
ia contulerunt.

Hæc à reſtitutis Belgicis rebus, de Societate nun-

*tiantur. Sed maiora ponuntur in ſpe, nunquam enim magis Chriſtiana res creſcit, quam cum calamitas anteceſſit. Interim pauca hæc, quæ ſunt quaſi ſpecimen futuri temporis, ad agendas immortali Deo gratias miſſa exiſtimentur.*

PRO-

# PROVINCIA TOLETANA.

FVit in hac Prouincia noſtrorum numerus ad quingentos. Toleti ſeptuaginta: in Profeſſorum quidem Domo quinquaginta: in Collegio viginti. Madridij ſexaginta. Centum amplius Compluti. Quatuor & quadraginta Murciæ. In Conchenſi Collegio ſex & triginta. In Placentino triginta. Totidem in Huetenſi. Duo minus in Belmontenſi. In Carauacenſi duo & viginti. In Talabricenſi viginti. In Ocanienſi fere totidem. In Securitano quindecim. In Naualcarnerenſi duodeuiginti. In Domo Probationis Villaregienſi amplius ſexaginta. Duo migrarunt è vita. In Societatem viginti minimum ſunt adſcripti.

## TOLETANA PROFESSA Domus.

E Toletana Domo euocatus eſt ad præmium, vt exacta cum laude vita ſperare iubet, P. Franciſcus Strata, notæ facundiæ concionator. Hic eſt ille ado-

*adoleſcens, quem è Caſinate monte reuertens P. Ignatius, in itinere obuium habuit. qui cum feſſus aulicæ vitæ tædio, militandi gratia Neapolim pergeret, reuocatus ab Ignatio, vno eius congreſſu atque colloquio ſubito ſe ad meliora ſigna & ſtipendia conuertit. Reliquarum rerum idem fere curſus & ſtatus eſt. Quotidie contra vitiorum monſtra dimicatur. Complures à perſequendis iniuriis, complures item à diuturno pellicatu diuulſi ſunt. Nobilis mulier, cui ſexdecim ipſos annos cum propinquo res fuerat, à tam nefario inceſtu ac turpitudine liberata eſt: & ad expianda vniuerſæ vitæ flagitia maculaſq. perducta. Habetur autem ad eos mulierum cœtus, quæ à vulgandi corporis ignominia, in certas honeſtatis ſedes ſe receperunt, crebra de diuinis rebus oratio, præbenturq. interdum aures confitentibus perutiliter. Eadem in puerilem & iam adultam ætatem, dum eorum ſcholæ cœtuſq. luſtrantur, conſtiterunt officia; eadem quoque in ægros & peregrinos egenos. Aeger autem quidā, cum pœnitentiæ ſacramentum obſtinato animo nec ſine magna omniū offenſione reſpueret, noſtrorum perſuaſionibus eſt inductus, non modo vt ætatis certæ peccata, ſed vniuerſæ confiteretur. confeſſionem ſubita tranquillitas animi, hanc læta & minime formidoloſa mors excepit. Sed inter expiandos animos, res contigit non vulgaris. Quidam cum multos iam annos grauia in confeſſione ſcelera reticeret, per quietem ſe vidiſſe narrabat, ardentem in ſe diſtringi gladium ad aſpectum horribilem: ſe autem perterrefactum ſuſtuliſſe cla-*

mo-

*morē, Deoq. vt ſibi ignoſceret ſupplicaſſe, quod ſibi certum ac deliberatum eſſet, peccata quæ celauerat, patefacere: tum gladiū in vagina reconditum, nec vſpiam amplius apparuiſſe. viſi fidem fecit accurata vitæ confeſſio, & è concepta formidine exanimatio tanta, vt tanquam mox expiraturo ſacramenta nouiſsima ſint adhibita: ſed vt in confeſsione peſtem vomuit, momento conualuit. Foris toto ferme anno Sacerdotes peregrinati ſunt octo, magno huius diœceſis bono. nec modo doctrinæ animis, verum etiam panis pabula corporibus miniſtrata ſunt. Nā cum in ſumma caritate fuiſſet hic annus, egregia ac liberalis Cardinalis Toletani pietas, per noſtrorum Sacerdotum manus, præſenti tritico atque pecunia multorum oppidorum fami conſuluit. Nec parum ei rei attulit adiumenti, nobilis Franciſci de Reynoſo benignitas, & huius Domus quaſi parentis, propter ſingularem eius in nos amorem ac liberalitatem. qui quanquam ipſe quoq; annonæ ſenſit incommoda, per eoſdem tamen Sacerdotes noſtros ſolitò ſeuit vberius.*

## MADRIDIANVM ET ALIA quędam Collegia.

M*Adridij ſatis ex ſententia ſuccedunt omnia. Numerat gymnaſiū auditores fere ſexcentos, nobilesq. in ijs multos, quorum exercitationibus*

*viri*

viri principes delectati ( placuit enim intereſſe nonnunquam) facile ſibi perſuadent, quantum ex diſciplina noſtra commodi capiatur. In templo cernitur frequens ex omni ætate ſexuq. nobilitas, ac plurima proinde confeſsio, tractatioq. Sacramentorum. Ferijs D.Catharinæ, non alienum duxit ſuæ dignitati Philippus Rex, pro ea qua eſt etiam in infimos facilitate, ædem noſtram ſuo aduentu cohoneſtare & ſacris adeſſe ſolemnijs.

COMPLVTI præcipua quædam opera data eſt, vt noſtræ Academiæ auditores, dum doctrina pectus excolunt, animum quoque pijs diuinarum rerum commentationibus perpolirent, ſubductaq. ſumma eorum, qui noſtris ſe meditationibus exercuerunt, ſeptuaginta amplius reperti ſunt: in ijſque interdum ipſi Magiſtri ac Doctores: vt mirum non videatur ſi diligenti operarum culturæ, frugum prouentus vbertasq. reſponderit. Dicarūt enim ſe Societati viginti, bonarum partium omnes, ijque aut probe litteris inſtituti, aut iā rude donati, quatuor duntaxat exceptis, procurationi domeſticæ deſtinatis.

PRAECIPVAE autem Toletani Collegij curæ ſunt, ad humanitatem iuuenes erudire. Ingenia muneribus euocantur. ea interdum, adhibitis principibus Eccleſiæ Toletanæ iudicibus, tributa ſunt. Specimen ſuæ facultatis auditores noſtri, in aduentu principum virorum non ſemel dedere: ij Apoſtolicum Nuncium, ij Cardinalem Toletanum, ij Iaponicos legatos iucundis ſuæ facundiæ numeris exceperunt. Sed, quod laborum noſtrorum optatiſsima mer

ces

ces eſt, vna cum doctrina, virtus quoque præferuidis natura mentibus commendatur. Nam qui duriores videbantur inter initia domituq. difficiles, nunc quotidie magis pijs Societatis exercitationibus conuictuq. miteſcunt.

MVRCIAE Mahometanus quidam morte plectendus, inuicta quadam animi pertinacia, mori in quà natus erat lege decreuerat: noſtri tamen aſsiduo labore perfecerunt, vt perditæ animæ Deus pro ſua clementia ac bonitate ſuccurreret. Inter ipſas carnificis manus ac in ipſo pene ſuſpendio, Chriſtianum ſe mori velle dixit, & ante mortem è morte reſurgere. renatuſq. ex aqua & Spiritu ſancto, celeri morte ſempiternam mercatus eſt vitam.

CONCHÆ pari obſtinatione Chriſtianus, qui ne ſuſcepta in vicinos odia ponere cogeretur, confiteri peccata in morte nolebat: vrgente tamen Sacerdote noſtro, ſe flexit, condonatiſque quibus infenſus erat, iniurijs, aureos mille nummos, pios in vſus ex teſtamento legauit, vt eadem liberalitate & peccata redimeret, & iter ſibi muniret in cælum.

E PLACENTINO Collegio, profecti ſunt in oppidum Veiar, quo æſtatis declinandæ cauſſa Placentinus ſecedit Epiſcopus, quatuor hac æſtate de noſtris. hos eo conſilio ſedulus ſecum Paſtor adduxerat, vt finitimis etiam pagis ſuam operã imperti-rent: quod quidem ab eis ingenti cum fructu factum eſt.

BEL-

# BELMONTENSE ET HVETENSE Collegia.

IN Belmontenſi Collegio, auctus eſt Auditorum in gymnaſio numerus ad quingentos: & ex incrementis gymnaſii creuit quoque ſodalitas Dei Matris. Ferat ſemper Deus vberes annos, & cæleſtis gratiæ imbribus, ſuum quotidie nouale reſpergat, vt quò operarum ardentiora ſunt vota, eò omnia hilariora ac pinguiora proueniant.

In HVETENSI Collegio, quod ad pietatis cultum attinet, videtur hic annus viciſſe ſuperiores, & ſacramentorum conſuetudo multo magis increbuiſſe. Sublatæ ſunt offenſæ cædesq. non paruæ. quidam cum inimicum haberet in poteſtate, & quinquenniũ iam catena conſtrictum tenuiſſet, ad Sacerdotis noſtri preces iracundiam vicit, eiq. veniam dedit, à quo nondum pœnas vltimas repetijſſet. Concurſandis vicinis oppidis, ad exitum perducta lis eſt duos inter viros, qui mutua rabie efferati perniciem ſibi igne quærebant: alter enim alterius ædes, admotis iam facibus, cum omni familia parabat incendere, cumq. quotidie creſcerent odia, placuit Deo, per noſtros, id quod alij fruſtra tentarant, irata pectora mitigare. Latrones porro duo ſupremo addicti ſupplicio, cum monita ſalutis uoluntaria cæcitate reſpuerent, nec confeſſionis mentionem non modo ad animum, ſed ne ad aures quidem admitterent, ad extremum noſtrorum uicti labore animum induxerunt, ut quando

*do vim humani iudicij non euaderent, ſibi certe ſupremum illum uiuorum ac mortuorum iudicem, ſuorum ſcelerum confeſsione placarent: idque ea doloris ſignificatione, & lacrymarum copia fecerunt, ut non dubiam ſpem dederint, quin eum ſibi propitium placatumque reddiderint.*

∴

PRO-

# PROVINCIA CASTELLANA.

CAstellana Prouincia decem de noſtris continet et quingentos. In Vallisoletana Profeſſorũ domo quatuor & triginta. In Valliſoletano Collegio undetriginta: Totidem in Palentino. In Medinenſi Probationis domo quadraginta. In Domo Probationis Villagarſiæ quatuor & triginta. In Salmanticenſi Collegio ſeptẽ & ſexaginta. In Abulenſi duo & triginta: in Segobienſi totidem. In Locronienſi triginta: totidem in Burgenſi. In Collegio Montis Regalis quinque & triginta. In Ouetenſi ſeptendecim. In Legionenſi ſeptem & uiginti. In Compoſtellano unum & triginta. In Numantino uiginti. In Pompeiopolitano decem: totidem in Omnatenſi. Tres denique in Reſidentia Bellimarenſi. Admiſsi ſunt in Societatem duodeuiginti. Amiſsi morte duodecim.

## VALLISOLETANA DOmus, & alia quædam Collegia.

AD reliquos Valliſoletanæ domus fructus, acceſsit vtilitas catechiſmi, qui præcipuo

quo-

quodam ſtudio non tam pueris, quam confirmata ætate viris exponitur. cum Catechiſmo traditur virtus, & ad eam quiſque peropportunis cohortationibus eruditur: explanatiſq. legis Chriſtianæ præceptis, ducitur auditorum agmen ad noſocomia, vt colendis charitatis officijs ad actionem doctrina reuocetur. Nec tenue vtilitatis indicium eſt, frequens tum reconciliatio gratiarum, quo in genere grauiſsimis, quæ imminebant, periculis occurſum eſt, tũ æris alieni reſtitutio, cuius ingens numerus fuit. Et quanquam domi animorum commodis opera ſtudiumque nauatur, habetur nihilominus ratio pagorum. quindecim hoc anno inſtitutæ ſunt profectiones tanto cum animorum emolumento, vt quotidie magis intelligamus, quantum in obeundis agris ad ſubleuandas animas ſit momenti. Sed quantum hominibus Sociorum proſit induſtria, ipſimet homines dum grati videri volunt, ſua liberalitate teſtantur. collati ſunt in inchoatam templi fabricam, eleemoſynæ nomine, aurei mille & quadringenti, auctumq. ſacrum inſtrumentum tum nitida locupletiq. veſte, tũ duobus ex argento candelabris opere pereleganti. vt iã languere noſtra non poſsit induſtria, tot beneuolentiæ ſignificationibus excitata.

SALMANTICAE aucti ſumus fratribus quatuor, doctrina iam cultis & Theologiæ (vno excepto) peritis. Hinc quoque ad animarum lucra ſunt emiſsi complures, inſigni cum vtilitate hominum, præſertim Cleri. Valuit noſtrorum opera & ad tollendas in ciuitate diſcordias, quæ viros inter prima-

rios extiterant, & ad conſtituendum vectigal annuum, vnde multorum egeſtas perpetuo ſubleuetur. Sed quotidiana ſatius eſt reticere quam dicere, vt inſtituta breuitas teneatur. Suos hic quoque fautores Societas habet, præſertim è præcipuis Academiæ Collegijs, qui poſtea ad publica munera & honores euecti, Societati ipſi vbicunque terrarum fuerint mirifice fauent. Ciuitatenſis Epiſcopus appropinquante morte, dimidium bonorum fortunarumq; ſuarum Omnatenſi Collegio legauit: poſtea euocato Sacerdote noſtro, expiatiſq. totius vitæ peccatis, mortis ſuæ laudem hoc quaſi cumulo præparationis auxit. Huic vero Collegio, Epiſcopus atque Archidiaconus prædium cum templo dedere.

Nec vero MEDINENSI Ciuitati minus Societas debet. multis ſæpe documentis quanti nos faciat declarauit; ſed proxime cum ad legendum Prouinciæ Procuratorem agerētur de more conuentus, ne nouorum Patrum aduentus ſumptui nobis eſſet, ſumptus ipſa ſuppeditauit. Noſtri viciſsim conſuetudine officiorum ſuorum, vt gratiam quam poſsint, referant, elaborant. Quippe animis ſemper conſulūt, dum alios meditationibus noſtris excolunt, alios dimittendis rite noxis ac ſceleribus expiant, alios etiā ad concordiam æquitatemq. traducunt. Societatis meditationes obiere duodecim, quorum pleriq. ſunt Sacerdotes, ijq. ceteros ſuo exemplo laceſſunt, vt ſtudijs item pietatis muneribusq. ſe dedant. itaq. complures ex huius vitæ periculis in Cœnobiorum portum ſinumq. confugiunt. Deterriti ſunt & ab inferē-

da

la & referenda iniuria nonnulli: cumq. duo iam ad
rma conſurgerent, noſtrorum induſtria perfectum
ſt, vt iræ parcerent, mutuisq. cædibus temperarent.
uod ab ijs tam ex animo factum eſt, vt eorum al
er, ne in huiuſmodi amplius pericula vocaretur, Cœ
obita repente ſit factus. Adiuncta eſt etiam ad
hriſtum femina Mahometana, & Chriſtianis in-
ructa præceptis, antequam prodiret ad fontem.
Iiſsi ſunt foras, ex inſtituto nonnulli, quorum adeo
pportuna quibuſdā locis opera fuit, vt populi vni-
erſi ſalutari confeſsione animos expiarint.

Sed hoc mittendi ſtudium, in proximum agrum
ILLAGARSIAE ſolet eſſe præcipuum. Id
im oppidum cum pagis vndique cinctum ſit, non
ne ingenti vtilitate, frequens ad eos operarum eſt
iſsio, vt non tam loci vnius, quam plurimorum exi
iment noſtri ſe eſſe cultores. Sed quoniam quæ in
is locis geruntur ſæpius inculcata iam ſunt; iccirco
uæ de conquirendis per pagos animis dici ſolent,
uc transferenda ſunt omnia. & quod de hoc Colle-
io dicimus, idem de Palentino, idem de Lucronien-
alijsq. Collegijs, ne in ſingulis ſit hærendum, intel
gendum eſt.

In PALENTINO vero Collegio, fundamen-
a iacta ſunt noui Templi, multis in eam rem ædi-
us, vt proximis litteris ſignificatum eſt, partim Ci-
itatis liberalitate coemptis, partim etiam priuato-
um: ſed præcipue Franciſci de Reynoſo nobiliſsimi
c clariſsimi viri, cuius paulo ante meminimus; qui
ro egregia ſua in nos beneuolentia nullum vnquam

*prætermtiit tempus bene merendi de nobis. Poſitus eſt primus lapis, publica tum ceremonia, tum gratulatione, ſacris operante Decano, honeſtiſsimo virorum mulierumq. conuentu.*

*ABVLAE autem, quam bene gerantur omnia, ipſe hominum concurſus ad conciones, & Sacramenta teſtatur. Sane dilatandum nouis ædificationibus templum fuit; nec tamen multitudini denſæque turbæ factum eſt ſatis. Alia amoris indicia non deſunt, quo nos ciues proſequuntur ac fouent, quippe crebræ eleemoſynæ & aliæ huius generis ſignificationes. quod ipſum de Lucronienſi ciuitate confirmare poſſumus, quæ Collegio noſtro mille aureis amplius ſubſidio venit.*

## POMPEIOPOLITANVM ceteraque Collegia.

*FActum eſt Pompeiopoli initium noui gymnaſii, non ſine orationum apparatu pompaque religioſa. Cohoneſtarunt Oratorem, Prorex Regiique auditores, cunctique Magiſtratus, maxima beneuolentiæ ſignificatione: cumq. peroratum eſſet, tũ Proregi totius nomine ciuitatis à Magiſtratibus gratiæ ſunt actæ, quod tantum commodi in ſuum regnum intuliſſet. Nobilitatur gymnaſium non modo ciuium frequentia, ſed etiam aduenarum Gallorumque potiſsimum. Epiſcopus Collegium noſtrum pecuniis inſtruxit annuis. eſt autem is de nobis optime meritus, noſtroſq. cum ſæpe adhibet ad conciones in æde maxima,*

xima, tum Calendis Ianuarys, quæ IESV nomini ſacræ ſunt, Pontificio apud nos ritu ſacrificauit, veſpertinaſq. preces publica item ceremonia cantuq. peregit. Eadem eſt Proregis humanitas, ac Regiorũ Auditorum, apud quos habetur à noſtris per Quadrageſimam concio, cum vtilitate præcipua. Quod ad pagos attinet, ne hi quidem noſtrorum operam deſiderarunt. Præcipua huius regni luſtrata ciuitas eſt, cui nomen Tudela, quæ magna nunc contentione Collegium flagitat: aliaq. præterea vrbs finitima Galliæ, quò per id tempus Galli confluxere complures, tum Sacramentorum cauſſa, tum vt noſtros ad ſe allicerent, & in ea loca, præſtandis periculis, inuitarent.

OMNATENSIBVS quotidie magis perſpecti ſunt noſtri. iam adhibentur ad conciones in æde maxima contra omnem Cleri conſuetudinem, qui ad eũ ſuggeſtũ nunquã noſtros admiſit. Ex oppidorũ autẽ vtilitatibus prima fuit, placare pagos inter ſe tres, inter quos acerrimæ de agrorum finibus contentiones exarſerant. compoſitæ ſunt etiam inter priuatos diſcordiæ, & quidem nobiles ac primarios. Quodam in oppido, cum Clerus ſeſe noſtris non ſatis crederet, dum ſuggeſtum concionator noſter aſcendit, eũ non ſine dedecore reuocauit; ſed Patris manſuetudo fecit, vt erratum illi ſuum agnoſcerent, veniæq. poſtulatione, quem contumelia affecerant honorarent, & cui non ſatis fiderent, ei ſe poſtea ſuiq́ue pectoris arcana, committerẽt: ſexaginta amplius ex eo numero expiare ſe apud Patrẽ voluerũt, eoſq. Pater ita ſibi

*deuinxit omnes, vt ex eo tempore Societatem pluri-mum ament, & Concionatorem ex ea ſemper acceſ-ſant.*

*NVMANTIAE præter alia, quæ ex inſtituto geruntur, interdum mitigatæ ſunt iræ. ſat erit genus tantum attingere, ne in rebus ſimilibus multi ſimus. Inciderat in morbum vir tum nobilitate, tum opibus clarus. is iras cum inimico gerebat, ſed cum morbus vrgeret & ſalus vocaretur in dubium, accitur è Collegio Sacerdos, qui daret operam confitenti. dedit Pater operam ſtrenue: nã & vt offenſas inimicorum impunitas eſſe permitteret, & vt quædã, quæ ſaluo officio retineri non poſſe videbantur, ſua cuique redderet, perſuaſit. ſed quoniam vtrum alia quædam longe maiora deberet, nondum liquebat, ea tamdiu depoſita apud aliquem eſſe voluit, dum liquidius de re tota iudicaretur. erat tum animo ſic affectus, vt ſi reſtituenda multis partibus plura fuiſſent, reſtituiſſet vtique. itaque cum mors aduentaret, multa pios in vſus ex teſtamento reliquit, cumq. alia alijs Religioſis ordinibus diſtribueret, Societatis noſtræ non immemor, annuum nobis vectigal aureorum quadringentorum, in ſempiternum tempus aſsignauit; tantumq. affici erga nos cœpit extremo illo vitæ tempore, quantum in reliqua vita fuerat alienus: non die, non nocte, Sacerdotem abeſſe noſtrũ a ſuo latere voluit. Omnino plena laudis, pietatisque mors illa fuit.*

*In LEGIONENSI Collegio, per Sacerdotẽ noſtrum ad leuandam multorum tenuitatem, inſtitu-*

ta ſodalitas eſt ex eo hominum genere, qui has partes curamq. ſuſcipiant. Dedit in eam nomen, vt ſuo exemplo ceteros inuitaret, Epiſcopus ipſe. hunc reliqua imitata nobilitas eſt. Eſt autem Epiſcopus, vt ex ipſis rebus cernimus, noſtri Ordinis amantiſsimus. concionari in æde noſtra voluit, & ſolemnibus operari ſacris: crebro etiam concionibus intereſt, & pro noſtris deſerit ſuas: nec raro diſputationibus, quæ de officijs publice habentur, interfuit: quas ſubinde perhumanis obiectionibus honeſtare, ſuæ dignitatis non alienum putauit.

In OVETENSI Collegio, ad eluendas animi labes ex omni hominum genere concurſus fiunt. facit hoc ciuitatis emporium, crebræque nundinæ, ad quas vndique turba concurrit. Nec in poſtremis vtilitatibus eſt, in externa loca frequens excurſio. multa in ijs animorum curatio, atque adeo multa, vt paganorum turba confeſsionis cauſſa antelucanis ſæpe temporibus præſtoletur.

In MONTE Regali viri decem, ijque minime obſcuri, cum in omnium oculis ſecus viuerent, quam deceret, neque ſolum eſſent ipſi vitioſi, ſed etiam ſuo exemplo vitia in ciuitatem infunderent, noſtrorum opera ad frugem officiumque ſe receperunt, magna ceterorum tum approbatione, tum gaudio.

COMPOSTELLAE quoque plurimi è proximis locis collecti ſunt fructus. vno tantum in loco expiarunt confeſsione peccata, mille trecenti. Hæc autem in vicina loca profectio, magnæ curæ eſt Archiepiſcopo, qui ne noſtrorum aduentus cuiquam

*oneri ſumptuique ſit, viaticum ipſe præbet: nec in viaticum modo, ſed in egenos quoque dilargitur argentum, quod ad arbitrium ſuum noſtri diſtribuant. Atque hæc hactenus de Caſtellana Prouincia.*

# PROVINCIA ARAGONENSIS.

COntinet Aragonia, ſedes omnino nouem, ſocios autem ducentos ac viginti quinque. In Domo Profeſſa Valentina tres & viginti. In Collegio vndequadraginta. Gandiæ tres & triginta. Barcinonæ totidē. Cæſarauguſtæ quinquaginta. Maioricæ tres & viginti. Gerundiæ ſeptem. Tarraconæ ſex. Octo Bilbili, vbi recens eſt erectum Collegium. Mortui ſunt quatuor: aggregati quatuordecim.

## DOMVS PROFESSA Valentina.

VAlentiæ tres tantum, vt diximus, & viginti in profeſſorum ædibus habitarunt. Verum alijs ædibus hoc anno coemptis, plures poſthac ſperamus, qui hanc deſtitutam pene operis vineam vna cum ceteris excolant atque exerceant: magna eſt enim eorum, qui ad nos confluunt ſacramentorum cauſa, multitudo. Et quanquam ea fuit annonæ caritas, vt vitam vix diuites tolerarent, nedum tot è noſtris aliena miſericordia victitarent; tamen tum egregia liberalitate ciuium, tum diuina in ſuos famu-

*famulos prouidentia, nihil à nobis, quod ad cultũ & victum pertinet, deſideratum eſt. Itaque cum hæc ad Deum procuratio pertineat, omnis ſociorum cura in vna animarum cauſsa verſatur. Inſtituta ex honeſtiſſimis viris ſodalitas eſt, ijs ſodalitatibus non abſimilis, quæ & hic & alibi, Dei Matris cultui honoriq́, dicantur. Ea igitur hoc anno tum Proregis gratia, tum Patriarchæ auctoritate inchoata, viros, vt dixi, nobiles & honeſtos adlegit. Præſidet ſodalitati Proregis gener, Comitiſq. huius regni filius natu maximus. qui tanto ſtudio quaſi aſſignatum ſibi a Deo munus adminiſtrat, vt eo duce ac præſide feliciora ſperentur indies. Sodales à virtute & probitate leguntur, nam de multitudine numeroq. poſtrema cura eſt. horum partes ſunt non modo ſuæ ac domeſticorum ſaluti conſulere, verum etiam alienæ: diſſidia de ciuitate tollere, paces cõciliare, cuſtodias publicas interuiſere; ægris non modo ſuæ cuiq́. domi, verum etiam in Valetudinario præſto eſſe. E templo inſignis quoque effloreſcit vtilitas. pœnitentium ea eſt multitudo, vt ſinguli interdum ſacerdotes, plurimis qui ab ineunte ætate expiare peccata velint, aures præbeant. Errantes & qui diaboli arte deluſi, vel mente abducebantur à ſenſibus, vel edebant inuſitata prodigia, ab his fraudibus fallacijſq. deducti: reliquis præterea vitijs, quoad fieri potuit, ſua cuiq́. adhibita temperatio eſt. Mulier, quæ liberos ex alieno ſuſcepit, quæq́. ob eam cauſam diſcedere à viro, vt vim eius effugeret cogitabat, noſtrorum ope perfectum eſt, vt ad viri pedes abiectæ vir ipſe pepercerit.*

*cerit. Alius qui annos iam quindecim quadrupedum more, in libidinum cœno volutabatur, ſenſim frequenti peccatorum confeſſione ſe recepit ad frugem. Mulier, quæ & caſtimoniæ voto neglecto, corpus ſuum, nulla habita ratione loci ſiue ſacri ſiue prophani, ad omnium libidines diuulgabat; quæque tot inquinata vitijs, cæleſtem panem, eum qui paſcitur inter lilia, ſumere ore ſuo impuriſſimo non verebatur, cum ad extremum veniam tantorum ſcelerum deſperaret; noſtri ſacerdotis opera, ad ſpem diuinæ miſericordiæ erecta, inueterata vulnera, quæ diu occultauerat, indicauit: nunc autem ad ſanitatē mentemq. perducta, tanto in ſacramentorum vſurpatione verſatur ardentius, quanto antea admiſerat ea cupidius, quæ pœnitentiæ ſacramento detergenda eſſent. Puella, quæ ſe Deo caſtitatis voto ſacrauerat, cum pudicitiæ diſcrimen adiret, noſtrorū conſilio, ex ſuis ædibus alio tranſlata, & à periculo ſe ſubduxit, & ſacramentorū ſeſe armis præſidijſq. communijt. Taceo compoſitas controuerſias, taceo reſtincta noſtrorū monitis odia, quo de genere illud fuit ſane preclarum: quod cum quidam vulneribus male acceptus, percuſſorem de medio tollere decreuiſset, poſt confeſſionem autem iniuriam Chriſto concesſiſſet: tantum ea liberalitate progreſſus eſt ad virtutem, vt quo rebus humanis remitteret nunciū, ſponſione voti ſeſe obligauerit Deo. Ex ijs porro qui nobis operam dant, cum alij ſeſe Deo in varijs Religioſorum conſecrauere cœnobijs, tum in Societatē ſex. Nec vero inter vſitata vitæ noſtræ munera, eo-*

*rum*

*rum eſt cauſa deſerta, qui ſupremo erant afficiendi ſupplicio. In his vnus, qui ſe recens ad Chriſtũ adiunxerat, cum ad Mahometanas poſtea ſuperſtitiones impie reuolueretur, ſacerdotis noſtri oratione, tum vero ſpiritus ſancti afflatu, ereptam ſibi facinoribus lucem aſpexit iterum, in eaq. extremum vitæ diem morte confecit. Superiore Quadrageſima, in celeberrimum quodque oppidum noſtri dimiſſi, tantum ijs locis, quo venerant profuerunt, vt multi iam octauo quoque die abſterſis confeſſione peccatis, cœleſti pabulo recreentur. Exceptæ ſunt etiam in cœnobijs mulierum confeſſiones, ad eaſq. habitæ conciones tanto cum fructu, vt non modo mulieres ipſæ meliores quotidie fierent; ſed earum exemplo puellæ aliæ claris ortæ natalibus, ad eas ſe aggregare non dubitarint. Hæc & id genus alia, in obeunda vicinitate ſunt acta.*

## VALENTINVM ET BARcinonenſe Collegia.

*IN Collegio Valentino, habitus eſt ad pueros catechiſmus in locis quinque, peragratiq. pagi cum vtilitate: reſtinctæ Archiepiſcopo auctore, in cœnobio quodam virginum diſſenſiones, in eoq. pietatis ſtudia tum cohortationibus habendis, tum excipiendis confeſſionibus excitata.*

*Nec minor agri BARCINONENSIS eſt ſeges. locis quatuor explanatus eſt Catechiſmus: nec pauci ad ſpem à deſperatione traducti. Quendam cum grauia puderet ſcelera confiteri, ea vis*

*triſti-*

*triſtitiæ ac deſperationis inuaſerat, vt ad ſui necem venena pararet: ſed à Sacerdote noſtro excitatus ad indulgentiæ ſpem, tranquillitati redditus eſt. Quidam cum quadrageſimum iam annum beſtiarum ritu viueret (nam nec ſacris vnquam aderat, nec Deum diuoſq. nouerat, & quotidie ſcelera ſceleribus cumulans ad ſempiternum ruebat interitum) tandẽ diuina exoriente luce, ſuas ſordes aſpexit, confeſſuſq. ætatis vniuerſæ peccata, tanto honeſtiorem ingreſſus eſt vitam, quanto egreſſus erat è fœdiore. Sed huius generis plura ſunt, quam vt neceſſe habeam ſingula perſequi. Publicus huius oræ graſſator, frequenti noſtrorum congreſſu eo ſenſim deductus eſt, vt vniuerſæ vitæ maculas ſacramento confeſſionis eluerit: atq. his iam poſitis fundamentis tutioris vitæ cauſſa, arctiſſimo ſe poſtea cœnobio concluſerit. Explicatæ præter conſuetudines ſunt conſcientiæ quæſtiones. nam cum tres Theologos conſtituiſſet Epiſcopus, qui tribus in templis ea de re ſcholas haberent, ſacerdos noſter ædi maximæ deſignatus, has ipſas Scholas Epiſcopo ipſo præſente Canoniciſq. & Parœciarum Vicarijs cum alijs nobilibus explicauit. In pagos etiam eſt frequenter excurſum: ſemel atque iterum Epiſcopi Barcinonenſis rogatu, ſemel etiam in diœceſim Vicenſis Epiſcopi, vbi Prioratum à Gregorio xiij. Societas habet Diœceſis hæc ſylueſtris & montoſa, ſylueſtres quoq. & rudes incolas educat. Sane maxima eſt inter eos rerum diuinarum inſcitia, & quod dolendum eſt magis, tam denſis ſunt aſſueti tenebris, vt ſcientiæ lu-*

cem

cem ſplendoremq. non ferant, doctorum monita negligant, fidei rudimenta contemnant. itaq. noſtri cũ ad eos iter haberent, reuocabantur à vicinis, quod dicerent, fruſtra apud eos operam conſumptum iri. Verum tolerantia ac magnitudine animi, Deo duce, perfectum eſt, vt populi illi immanitate exuti ferarum, quotidie magis ad humanitatem ac religionem manſueſiant. Itaq. & animis expiati ſunt omnes, & concionibus perlibenter interſunt, & pulſis inſcitiæ tenebris, lucem iam aliquã veritatis aſpiciũt.

## CAESARAVGVSTANVM Gerundenſe & Bilbilitanum.

IN Cæſarauguſtano Collegio, pleraque huiuſmodi geſta ſunt, & in alias huius regni vrbes ſocij quatuor concionis cauſa dimiſſi, quorũ frugifer fuit vbique labor. Data eſt opera mitigandis odijs, interdumq. dæmonis fraudibus patefaciendis. Mulier erat in Cæſarauguſtana Diœceſi, admirabili ſanctimoniæ fama apud omnes, hæc in precibus aberrabat à ſenſibus, ſæuiebat in ſuũ ipſa corpus acerbis verberationibus, inedias, vigilias, & ceteras pœnarum acerbitates tam facile ſuſcipiebat, quam hæc non inuite ſimulata quoque virtus admittit. multos auocabat à vitijs, multos etiam ad virtutem incitabat: miſerorum ſubleuabat inopiam: enunciabat occulta commiſſa, caput cruore ſudabat. plagis etiam notiſq.

tiſq.redemptionis,vt de B.Franciſco dicitur,palmæ plantæq. diſtinguebantur.itaque ad eam vndique vt ad aliquam de cœlo lapſam concurrebatur:aderat ad fores conſultor frequens:opem miſeri,preces religioſi poſcebant: ciues grauiſſima quæque deferebant negotia. denique inter mortales numerabatur vt Sancta. Sed prudens Archiepiſcopus, non ignarus quantum inſidiarum inſit in vita, & quam verſutus ſit hoſtis humani generis, mulierem Sacerdoti noſtro committit,eiq. negotium dat, vt feminæ ſanctitatem diligenter exploret, & ſi quid in ea corririgendum ſanandumq.ſit,afferat medicinam.Pater ſumpto ad rem ſpatio,agere cũ muliere cœpit,tentare atq. exquirere vniuerſa;vt aliquid expiſcaretur. vbi eam ſatis exercuit,dies ipſa mulierem prodidit; comperit enim poſt aliquot menſium ſpatium & quidem ex ipſius ore,quam ficta eſſent omnia, quã ſimulata religio. Tum demum patefactus eſt Dæmon,qui vt animis tendat inſidias,in lucis Angelum ſe conuertit. Sed plus diuina bonitas, quam hoſtis calliditas potuit. cui & ouis eſt erepta de faucibus, & ne plus prædarum faceret contagione ouis, quã corruperat,admonitus populus,factus eſt cautior.

GERVNDENSE Collegium, quanquam exiguum ſociorum numerum alit, non tamen exiguas colligit vtilitates.Sacerdos noſter rerum contrahendarum officia cum explicaſſet,eam mercatoribus religionem iniecit,vt nefarias pactiones plerique reſciderint: alij fraude ſublatum retulerint aurum: nonnulli mercaturam facile deſeruerint.

Tar-

TARRAconæ in ædes nouas noſtri migrarunt, propediemque ſperatur fore, vt exædificatæ, ſocios capiant viginti quinque. Interim obeundis Societatis muneribus, augetur cum externis commodis, etiam vtilitas animorum.

Collegium BILBILItanum recentiſſimũ eſt: V. Kal. Nouemb. ingenti ciuiũ gaudio, qui Societatem pridem optauerant, inſtitutum. Eſt hæc vrbs, ſi Cæſarauguſtam excipias, ex omnibus huius regni vrbibus in primis clara, ſalubri cœlo, vbertate frugum opima, crebris hortis amœna, & lætis oppidis vndique cincta, vt ipſamet commoda regionis ad animarum ſalutem inuitent. Ad fundandas firmandaſq. Collegij fortunas, tributum eſt vectigal idoneum, adiunctaq. tum domeſtica tum ſacra ſupellex, & ſatis inſtructa libris Bibliotheca: quæ omnia vna ciuiũ liberalitas, nullo condicionũ onere, dono dedit.

## SARDINIA.

IN Sardinia, quæ Prouinciæ Aragonenſis eſt membrum, tria duntaxat ſunt domicilia. nam Buſachenſe Collegium iuſtis nominibus relictum eſt. Socij in ijs nonaginta circiter commorantur. Saſſari tres & quadraginta. Calari triginta duo: reliqui in Eccleſienſi Collegio. Mortui ſunt ex eo numero tres. In Societatem cooptati ſex.

SAS-

## SASSARITANVM Collegium.

*FVit hic annus Saſſaritano Collegio minus corporibus ſalutaris. complures enim acerbiſſimis diuturniſq. morbis tentati ſunt, ſed Dei præclara clementia omnes incolumes emerſerunt. Domi Hiſpanicæ Sardicæq. ſunt habitæ conciones, magno auditorum tum conuentu tum fructu. Foris autem pari cum vtilitate verſati ſunt ſex, a quibus cum alia præclare geſta, more inſtitutoq. Societatis, tum vitioſæ conſuetudines emendatæ ſunt. Erant, qui cum iuſtis de cauſis à Sacerdote ſine abſolutione dimitterentur, religioni tamen ſibi non ducerent Chriſti corpus accipere. Alij autem in propinquorum amicorumq. obitu, ijs ſe angoribus, lacrymiſq. dedebãt, vt multos menſes intra domeſticos parietes abditi, nuſquam ne in templis quidem ſacrorum cauſa comparerent. quæ omnia vt è ciuitate funditus tollerentur, noſtri ſedulo elaborarunt. Multi etiam de primarijs, qui inimicorum ſanguinem expetiuerant, à cæde odioq. retracti. Quidam ad inimici necem aureos ſicario dederat quinquaginta: alius pugionem, quo vxorem nocte confoderet, ſeruabat intra ceruical: vnus vero ne remittere inimico cogeretur iniuriam, diu confeſſionis ſacramento carebat: alij denique ad vlciſcendam filiorum necem odijs acerbiſſimis agebantur. qui omnes Deo iuuante, noſtrorum ſuaſu monituq. cum ſuo quiſque inimico reconciliati*

ciliati ſunt. Sed reconciliationes gratiarum commutationeſq. animorum quotidianas, ſingulas enumerare non eſt neceſſe. Mitto etiam qui à plurimis flagitijs ad frugem, noſtrorum ope ſe receperunt, et qui ſcelera nefaria cum indicare ſacerdotibus erubeſcerent, ea tandem longo interuallo detexerunt. Alcarenſis ciuitas cum peſtilentia proxime laboraſſet, vbi ea penitus abijt, miſſi ſunt eo de noſtris, qui eas animas confirmarent, ſimulq. vt nonnulla, quæ Societati noſtræ teſtamento legata eſſent inſpicerent, vt amotis litibus, quid ad eam pertineret, liquido conſtaret.

Ne CALAritanum quidem Collegium à morborum incommodis immune fuit. nam & deplorata iam ſalute decubuere nonnulli, & Sacerdotes extincti ſunt tres, quos veluti communibus orbata parentibus, ciuitas vniuerſa defleuit. ad eorumq. funus ex Metropolitano templo Canonici, cœnobitæq. Franciſcanæ familiæ, vt nobiſcum vna parentarent adeſſe voluerunt. Fructus autẽ, qui è Calaritana vinea legitur, eſt vberrimus. Multas quotidie Sacerdotes noſtri confeſſiones vitæ totius, eaſq. ſatis implicatas & impeditas excipiunt, eorum præſertim, qui à trigeſimo, quadrageſimo, quinquageſimoue anno, hoc ſe ſacramento non expiarant. Ægris præterea publiciſq. cuſtodijs, vitæ ſubſidia ſuppeditantur: viduarum ſolitudini, inopiæq. ſuccurritur: in matrimonio filiæ, quæ ſuis ſunt orbatæ parentibus, ne quod honoris diſcrimen adeant, corrogatis eleemoſynis collocantur. In tradenda vero rudibus Cateche-

techeſi plus ſolito curæ laboriſq. conſumitur: ducunturq. de more pueri diuinam legem per vrbis compita cantitantes. Maurus quadraginta natus annos, libertatis ſpe cum Chriſtum ſe ſequi velle dixiſſet, nec tamen libertatem vllam à ſuis dominis impetraret, poſtea morbo oppreſſus, ſenſit non tam ſibi à corpore, quod relinqueret; quam ab animo, qui nunquam interit, repellendum eſſe ſeruitutis iugum. baptiſmum ſine cunctatione popoſcit. adeptuſq. biduo poſt ſalutare IESV nomen inclamans extremum ſpiritum edidit.

Huius ciuitatis in Societatem amor, acres noſtris & ad animarum ſtudium, & ad tuendam collectam virtutis opinionem ſtimulos addit. Teſtatur hanc beneuolentiam atque exiſtimationem munerum largitas. Barptolomæus Foreſius Calaritanus ciuis, cũ in omni vita Societatis noſtræ ſtudioſiſſimus, tum in extremo ſpiritu ſui ſimillimus, Societatẽ ipſam ſuorum bonorum ſcripſit hæredem. is cum e vita diſcederet magna contentione Patrem noſtrum implorabat Ignatium, & prima illa noſtri Ordinis fundamenta, quæ beatorum loco ducebat. Aliæ præterea illuſtres feminæ nonnulla alia teſtamento legarunt. ciuiſq. in ſuburbio frequentiore, domo ſane commoda nos donauit.

ECCLESienſis ager, ne is quidem ſuis fructibus vacuus eſt. Multi qui infeſtis tenebãtur odijs ad inimicorum charitatem beneuolentiamque tranſlati ſunt. In eoq. numero mulier fuit, quæ filij chariſſimi cæde, totos viginti menſes nullis precibus placari

poterat. & alia, cui cum necatus eſſet vir, ſuadentibus noſtris vt ab actione deſiſteret, quam iam intenderat inimico, deſtitit ſane, naturam vincens Deoq. omnem donauit iniuriam. Vidua coniugis obitum ita lugebat, vt multos iam menſes nec lugubrem veſtitum poneret, nec ad templum accederet; imo ne familiarium quidem congreſſus & ſermones admitteret. ſed cum ſenſim ad ædem noſtram venire cœpiſſet & diuinis ſeſe expiare myſterijs, totam ſe Dei nutui voluntatiq. permiſit. Catechiſmus traditur pueris ferme ducentis. Pauperes & quos vel coercet carcer, vel à ſtipe quærenda nobilitatis pudor deterret, conquiſitis eleemoſynis ſuſtẽtantur. cumq. permulti ſine panis fruſtulo dies aliquot ſæpe tranſigant, impetratum eſt ab oppidi Præfecto, vt eius rei cauſa conſtituantur, qui è finitimis pagis ſtipem corrogent, idq. fieri magno inopum bono iam cœptũ eſt. Obeundis vero vicinis oppidis complures inimicorum iræ ferroq. ſubtracti ſunt: corrupti præterea mores emendati: Sacerdotibus tradita de ſacramentorum adminiſtratione doctrina: confeſſiones plurimæ plurimo cum fructu auditæ: multorum præſertim, qui multos annos ab expiandis animis abſtinebant.

# PROVINCIA BOETICA.

BOetica Prouincia in vndecim diuiſa ſedes, quadringentos de Societate complectitur. Fuere tum in Hiſpalenſi Profeſſorum Domo, tũ in eiuſdem ciuitatis Collegio, in ſingulis ſexageni. In Cordubenſi circiter octoginta. Quatuor & quinquaginta Granatæ. In Montelano quinquaginta. In Zerenſi duodecim. Tredecim in Marcenſi. In Gaditano quindecim. Vno plus in Malacenſi. In Triguerenſi ſeptemdecim. In Vaezano denique duodeuiginti. Morte erepti ſunt octo. Adiuncti vnus & viginti.

## HISPALENSIS PROFESSA Domus, & alia quædam Collegia.

IN Hiſpalenſi ciuitate varietas ipſa nationum, quæ negotiationis cauſa frequentes confluunt, peramplum socijs noſtris explicat campum, vbi eorum excurrat induſtria. teſtatur hominum celebritas ad vſurpanda ſacramenta, quæ in Profeſſo-

*rum æde tanta eſt præcipuis præſertim diebus feſtis, vt celebritatem Iubilæi quodammodo referat.*

*In HISPalẽſi Collegio ad Humanitatis Scholas adiecta recens eſt diſciplina Theologiæ, & quo plus Gymnaſio dignitatis accederet, ab honorificis diſputationibus, quibus Archiepiſcopus Cardinalis interfuit, ſcholarum ſunt ducta primordia. Auxit celebritatem Gymnaſij exædificatio recens, creuitq. Auditorum numerus ad nongentos: & quod caput eſt, cum multitudinis incremento creuit etiam ipſa religio. Quinquaginta ſe ad religioſos hominum cœtus aggregarunt, ex eoq. numero ad Societatem ſex. Ad fouendam autem tuendamq. pietatem adhibita ſunt vſitata ſodalitatum præſidia, quæ cum Dei Matrem præcipuo quodam religionis ſtudio venerentur, lætiores indies progreſſus ad omne officij decus experiuntur.*

*CORDVBAE floret etiam diſciplina gymnaſij. Prælectiones de rebus Theologicis habentur quatuor; ventitantque diſcipuli circiter octingenti. Ad augendum autem Collegij numerum ac fortunas, præclara, Deo fauente, iacta ſunt fundamenta. Gregorius enim xiij. pro ſua in nos indulgentia plus quam patria, tria & ea quidem non exigua ſacerdotia nobis attribuit. Ad hanc Pontificiam liberalitatem acceſſit tanquam cumulus, priuatorum benignitas, cuius ſubducta ſumma eſt ſcutatorum fere bis mille. itaque diuino munere atque conceſſu ſtrenue vrgetur incboata templi conſtructio, propediemq. perducetur ad*

exi-

exitum. Hæc tam eximia Dei beneficentia, cui accepta referenda ſunt omnia, deſides nos eſſe non patitur. conatur vnuſquisque pro opibus, vt quærendis animarum lucris tantæ Dei benignitati reſpondeat. deſtinatique ſunt eius rei cauſa diuerſa in oppida Sacerdotes, præcipueque Lorenam. Eſt autem Lorena quingentorum & quinquaginta caput oppidorum. erant huius loci incolæ, male in noſtros affecti, nec deerant, qui ſuis concionibus impedire noſtrum conarentur aduentum. interpoſuit ſuum ipſe nutum atque auctoritatem Gubernator, qui cum noſtros inuitis omnibus recepiſſet, vehementer ab vniuerſo populo reclamatum eſt. nemo eos congreſſu, aut colloquio dignos iudicabat, vitabat eos vnuſquiſque vt aliqua dedecora ac probra: nec prius hæc de nobis opinio ex hominum mentibus eſt euulſa, quam à religionis Quæſitoribus ſingulari ſtudio ac beneuolentia cauſſa noſtra ſuſcepta eſt. Tum demum ad eos ciues liber aditus patuit, quos conciliare noſtri dum ſtudent, & ad æternam ſalutem partim concionibus, partim exemplo vitæ perducere, mirum eſt, quam ſubito omnium animos menteſque conuerterint. itaque qui rem putabant indignam, noſtros ciuitate recipere, ij poſtea receptos tanto ſunt amore complexi, vt de exſtruendo Societatis Collegio mentem cogitationemque ſuſceperint: & in eam rem aureos mille nummos, in annuos fructus ſpoponderint.

# GRANATENSE Collegium.

GRanatæ communis quædam vis morbi, quæ longe lateque peruagata eſt, nulli fere pepercit è noſtris. cecidere Sacerdotes duo, quorum vtilis opera cum probitate certabat: reliqui deuicto morbo ad ſuum quiſque munus alacres ſurrexere: & quidem tanto ardentiore ſtudio, quanto præclarior ſeſe dabat occaſio. Quandiu lues illa occupatam ciuitatem tenuit, noſtri externis ægris nullo habito perſonarum diſcrimine, non ſecus ac domeſticis affuerunt. nec ægris modo, ſed eorum etiam, qui in publicis cuſtodijs habentur, & animis & corporibus proſpexerunt. Inſtitutum eſt inter eos in honorem IESV nominis ſodalitium, cuius ſodales menſis cuiuſque primordijs confeſſione purgati, cœleſtibus primum Euchariſtiæ epulis, deinde etiam terreſtribus ſaturantur; excipiuntur enim munifica Archiepiſcopi liberalitate conuiuio, qui certam in eam rem pecuniam vnoquoque menſe ſuppeditat. ita effrœnata hominum licentia, quæ in his locis debacchari ſolet, facile coercetur. Ea re Regij Senatus Præſes admonitus, idem ipſe quoque in cuſtodia alia ſuperiore non ſine approbatione ciuitatis inſtituit. Ex ijs autem, qui è carcere ad patibulum rapiuntur, Mahometanus quidam rogo damnatus, etſi nullis antea collocutionibus adduci poterat, vt prius quam vita excederet, ſpretis ſuperſtitionibus pa-

*patrijs, Chriſtum Deum, Deique filium agnoſceret. tamen auræ cæleſtis afflatu ſimul atque acceſſit ad mortem, ſententiam repente mutauit, errorem depulit, edoctusque â noſtris elementa Chriſtianæ religionis, ita firmauit animum in ſententia, vt tam atroci ſupplicio ſuum vltro corpus obijceret. id quod ſpe ſalutis minime dubia, fortiter & conſtanter excepit.*

*Inter pagos cum vtilitate luſtratos, luſtrata eſt etiam Archiepiſcopi diœceſis, eo ſcilicet poſtulante, ac rogante. Quadam in vrbe, Clerus erat perniciosis factionibus odijſque diſtractus, quem cum Archiepiſcopus ne per idoneos quidem viros conciliare potuiſset, ſenſit ad extremum eius compoſitionis ſummam imbecillis eſſe hominibus reſeruatam: indicto Sacerdotum conuentu è Societate Sacerdos, habitaque concione ad placandas iras accommodata, eorum animos conciliauit rurſum atque coniunxit.*

*Ex ijs, qui ſe Spiritualibus Exercitijs excoluerũt, antiquiſsimus fuit Regij Senatus Auditor, qui Tribunali id tẽporis præſidebat. Is ea hebdomada, quæ propter myſteriorum, quæ tunc celebrantur, ſanctitatem, Maior merito nominatur, curis ceteris intermiſsis, apud noſtros ſe pauliſper collegit, apud eoſque repetitis ſuperioris vitæ peccatis rite animum expiauit. Hunc imitatus eſt alius Conſiliarius Regis, qui ad regium tribunal ipſe quoque recens vocatus, non prius munus illud attigit, quam â rebus humanis ſe tantiſper abducens,*

*cens, eidem rerum diuinarum ſtudio eidemque animi expiationi vacauit.*

## COLLEGIVM MONTELANVM & reliqua.

*Montelano Collegio Nouitiorum adiunctæ ſunt ædes, in eaſque ſocij vnus & viginti recepti. in his viduæ matris vnicus, qui cum ea inſcia ad nos diſceſsiſſet, mater mente pene emota, diſtractionem illam ægerrime ferens, longum iter ingreditur, vt ſolatiũ ſolitudinis ſuæ, cariſsimumq. pignus recuperaret. Vt vrbem attigit factaque eſt filij alloquendi poteſtas, Quas lacrymas preceſq. non fudit? quos amoris ſtimulos non admouit, vt pectus tenerum emolliret? ſed aduerſus ea pectora, quæ cæleſtis amor obarmat, irrita eſt omnis ars, & plus habet roboris diuina charitas, quam materna. itaque diu illa tironem oppugnare potuit, expugnare nunquã potuit. Iam alienæ ſalutis procuratio, eadem, quæ ſemper: nec tamen in animorum cura ſuſcipienda corporum eſt neglecta ſalus. In ſumma annonæ difficultate, quæ durior facta erat indies, inita eſt eiuſmodi ratio, vt & publicæ calamitati & infimæ multitudini, quæ per id tempus extrema premitur egeſtate, conſuleretur: corrogatæ ſunt ſingulis hebdomadis a nobilitate pecuniæ, nec vlla fuit hebdomas, qua non ad aureos minimum quinquaginta pecu-*

cu-

cuniarum ſumma pertingeret: ita miſerorum eſt leuata mendicitas. Aluit autem hanc ciuium inchoatã beneficentiam ſingularis pietas Marchionis, cuius auia optima femina collegium nobis à fundamentis extruxit, opibusq. ditauit.

In Collegio MARCINENSI Ducis Archobrigenſis rogatu, eorum patrum, qui ad inſtituendum Procuratorem Prouincialem venerant, coactus eſt cœtus. quamdiu autem dimiſſus non eſt, ſemper ab eo omnia ad omnes vitæ vſus ſuppeditata ſunt, dataque veſtis in templum textili auro argentoque depicta, quæ ſeptingentis aureis indicatur.

GADIBVS noſtrorum opera in animorum ſalutem ſane quam vtiliter impenditur. portus enim Gaditanus cum inuehendis euehendiſque mercibus maxime celebretur, mercatores in negociatione gerenda, arctas impeditasque conſcientiæ rationes apud noſtros expediunt. ita ab iniquis fœnerationibus quæſtibuſque nefarijs plurimi reuocantur. Sunt etiam à noſtris Turca & Saracenus Chriſtianis legibus, priuſquam baptiſmate luſtrarentur, imbuti. Ciuium autem quæ ſit religio vel è templi cultu conijcitur: plurima id liberalitate ſplendet, initaque pecuniæ ſumma in vſus templi collata, reperti ſunt aurei nummi ferè quingenti.

TRIGVERENSI Collegio, Dux Metinenſis pro ſingulari eius in nos amore, aliquot agri iugera cum Collegij prædio continentis attribuit.

In MALACENSI Collegio diuturna peſtilentia, quæ Ciuitatem perpetuis fere funeribus exhauſit,

hauſit, gymnaſii numerum non mediocriter imminuit. Aucta tamen facultas eſt de hominibus bene merendi, alijs in ſtudijs atque muneribus. miſeris, quoad fieri poteſt, benigne ſuccurritur. adhibentur affectis morbo ſolatia, omnibuſque opibus, qui morti proximi ſunt, confirmantur.

In VAEZANO Collegio, graues ciuium contentiones, vnde magni motus metuebantur, ſopitæ ſunt: effectumque, vt quorum vel vita, uel fortuna, uel fama denique uiolata eſſent, ij ſuas iniurias voluntaria obliuione contererent. ex eo numero quidam brachio uulneratus, non modo iniuriam ſuam ipſe contempſit, ſed percuſſorem è publica cuſtodia, quo ſupplicij cauſſa coniectus erat, mittendum curauit.

In XEREZANO Collegio, quanquam peſtilentia ciuitatem uehementer afflixit, tamen ſingulari Dei patrocinio è noſtris neminem læſit: & tamen tantum abeſt vt pericula declinarēt, vt ne quis æger ſuam operam præſentiamque requireret, vitas ſuas animarum ſaluti poſteriores ducerent. Itaque quiſquis Sacramenti cauſſa presbyterū euocaſſet, ad eū ſine recuſatione ac ſine diſcrimine mittebatur. Reſpublica quæ factionibus ante diuiſa, hoſtiliter ſecum ipſa certabat, odia ſua publicæ incolumitati conceſſit. Foris autem ciuitas quædam, cuius diſciplina omnis effractis legum iuriſque repagulis interierat, cœleſti primum ope, deinde etiam noſtrorum diligentia ſeipſa correxit, iiſque ſe inſtitutis aſtrinxit, vt quæ ab omni pietatis genere aliena erat, poſtea ad accipien-

*pienda pia quædam munuſcula, quæ ad acuendum pietatis ſtudium diſpertiebantur à noſtris, certatim vniuerſa concurreret.*

PRO-

# PROVINCIA PERVANA.

SVnt in Peruana Prouincia centum amplius ac triginta de noſtris. In Limenſi Collegio, quod omniũ maximum eſt, ſeptem & ſexaginta. In Cuſchenſi vndeuiginti. In Potoſino quatuordecim. In Arequipenſi decem. Totidem in Pacenſi. In Iulienſi ſede duodecim. In Reſidentia S. Iacobi, quæ paſſuum circiter duo millia Lima diſtat, non plus duo. In Societatem adſcripti ſunt octo. Obijt vnus.

Conſtat hæc Prouincia triplici hominum genere, Hiſpanis, Indis, atque Aethiopibus: quorum numerus duplo maior quam Hiſpanorum eſt. omnium ſaluti pro virili ſuccurritur, ac præter conciones templorum, habentur ab omnibus fere Collegijs conciones in foro, non modo pari cum vtilitate, ſed ſæpe etiam ſuperiore. Aethiopum præcipua ratio ducitur, præſertim Limæ. Nullum genus hominum, Sacerdotum opera magis eget, adeo inanes ſcientiæ hebetesq. reperiuntur, &, quod inſcitiam plerumque conſequitur, moribus corruptiſsimis. excoluntur verbo Dei, & Chriſtianis præceptis aſsidue. Exeunt noſtri medios in vicos, publicaſq. vias, eoſq. blanda oratione

*tione vel in forum, vel in Paræcias ad audienda ſalutis verba perducunt. ita ab impuris ludis, & ebrietatibus, vbi ſe frequenter occidunt, facile reuocantur. Ex hoc hominum genere, duodecim millia amplius Limæ verſantur, vt neceſſario varia vrbis obeunda ſit regio, nec vno tantum loco diuini verbi ſemina iacienda. Ad Indos feſto quoque die pij ſermones habentur, idq. in omnibus ferme Collegijs. Sunt & ſodalitates vbiq; ad ſanandos tum Aethiopum tum Indorum mores, in quas nulli prius aditus patet, quam eius perſpecta & explorata ſit virtus. atque hæc ad reprimenda vitia non mediocris eſt ars. vitat enim ea quiſque omni animi prouiſione, quæ ſibi ſodalitatis aditum intercludant. Iam ſacramentorum plurimus vbique vſus. auxit tam ſalutarem conſuetudinem, præſertim inter Hiſpanos perfrequens Iubilæum, quod qui conſequi volunt (volunt autem ſemper innumeri) neceſſe eſt Sacramenta percipiant: ita fit, vt à præbenda confitentibus aure nulla ſit quies, præſertim quod neſcio qua hominum religione, vel de Societate noſtra iudicio, confeſſionis cauſſa ad nos plerunque concurritur. Teſtabatur quidam non ſine lacrymis, cum annum iam vigeſimum ad Sacerdotis genua non accidiſſet, per quietem ſibi viſum eſſe eximia forma puerum toga purpurea, qui negligentiam ſalutis accuſans moneret, vt admiſſa dedecora confiteretur, ſtatimq. ſe è lecto ſurrexiſſe, pueroq. duce ad Limēſe veniſſe Collegiū; ab eoq. commonſtratis Collegij foribus iuſſum eſſe in eo expiare peccata: ibi enim veram medicinam*

*animi*

*animi repertum iri. Huius viſi ſpecies in eius animo ſic inſedit, vt nulla interpoſita mora conceſſerit ad Collegium, Rectoriſque pedibus aduolutus peccata ſua multis cum lacrymis ſit confeſſus. Si id viſum diuinitus eſt oblatum, eſt quod ille diuinis monitis gratiam habeat, quibus ſe recepit ad frugem: ſin autem fortuitum fuit, & vt pleraq. ſomnia, caſu accidit; tamen ex eo ipſo facile eſt iudicare, quemadmodum affecti ſint homines erga nos, quibus etiam occurrimus quieſcentibus. Atque vt qualis ſit non Hiſpanorum modo, verum etiam Indorum Aethiopumq. in nos beneuolentia perſpicias, illud ſileri non patiar. Mulier quæ ad verum Dei cultum noſtrorū opera ſe conuertit, appropinquante morte, beneficij memor, cum ſibi nihil eſſe intelligeret, quo tantū munus remunerari poſſet (erat enim inops) maritum accerſiit, eiq. ſignificauit hanc eſſe ſuam ſupremam voluntatem, vt eum in ſeruitutem traderet Patribus, antequam decederet: allatiſq. teſtamenti tabulis, fecit quod dixerat, viro non modo non repugnante, verum etiam lubente. qui cum ſuum ſe non eſſe perſpexit, ſed in noſtrum tranſiſſe ius, ad Rectorem alacer adijt, & quantum in ipſo fuit, eius ſe nutui poteſtatiq. permiſit.*

*Nec vero domi tantū noſtrorū ſe charitas tenuit. multiplex enim ac varium animarum cauſſa ſuſceptū eſt iter. Vt pauca de multis. ab Arequipenſi Collegio in remotas partes, & Hiſpanis vix antea cognitas itum eſt, quanto cum labore non facile dixerim. ſuperandi fuerunt prærupti atque aſperi montes, &*

*ſuperan-*

ſuperandi pedibus, non iumentis; adeo in arduos eriguntur aſcenſus. eſt præterea regio infeſta viperis ac cyniphibus, cœlum graue, calores immoderati, vt nihil te præter animarum lucrum alliciat. Complures ibi baptizati ſunt Indi, complures ad baptiſmum eruditi, multi item â ſuis expiati peccatis, & quoniã ita charitas ac neceſſitas imperabat, mortuorum interdum corpora ſepulturæ mandata.

A CVSCHENSI Collegio varij etiam in varia loca dimiſſi ſunt focij. Patres duo vno adiuncto laico, in quorundam militum comitatu ad exquirendas infidelium Indorum regiones per mediterranea huius prouinciæ loca profecti, quos labores ærumnaſque pertulerint, longum eſſet enumerare. Cum aquis in itinere luctandum fuit non ſine præſenti mortis periculo, & trabibus credenda corpora ad iras fluminum euitandas. interdum per auia montium, & iuga aſpera tranſeundum, victu pene nullo, & cultu corporis valde tenui, inſequente præterea â tergo cyniphum examine moleſtiſſimo. itaque, quod neceſſe fuit, nonnulli è militibus fame, alij fluctibus perierunt. noſtri Deo miſerante, cuius cauſſa laborioſum illud iter erant ingreſſi, ex ipſis mortis faucibus euaſere. Nec vero his laboribus territi acres Chriſti milites, de repetendis ſuis ſedibus cogitarunt. nimis dulcis eſt animarum ſalus, quæ te ſemper ad pericula vocat, nouos ſemper ad labores inuitat. In aliam regionem cum iiſdem militibus perrexerunt, & ad certa diſcrimina calamitateſque antecedentibus grauiores. Itaque ex tot itineris in-

commodis ac moleſtijs domum reuecti ſunt ægri. Cui non miſerationem commouiſſent exangues illi pallidique vultus? ſumma erat oris macies, ſumma tenuitas, deformitas vero corporis tanta ex crebris vlceribus peregrinando contractis, vt reuerti ad priſtinum habitum ſedula ac diuturna curatione vix poſſent. Non temere ſed conſilio ea inſtituta profectio eſt. ſpes enim erat, fore vt multæ barbaræ nationes Chriſti legi ſua colla ſubijcerent, nec ea quidem erepta eſt. ſed dies videlicet expectatur.

Ad Indos Carauayas deſtinatus eſt alter, qui ne ipſe quidem ſuæ fuit expers coronæ, nam vbi moleſtias multas in erudiendis cœleſti doctrina barbaris deuoraſſet, dum aliam ex alia profectionem cogitat, equi lapſu præcipitatus in terram, domum reuehitur ſemiuiuus. ſed diu poſt recreatus è morbo, tanto ardentius has optauit expeditiones, quanto ſibi exploratius fuit, hæc ijs potiſſimum reſeruari, quos in amoribus Deus habet.

A POTOSINO Collegio miſſa ſunt etiam in exteras gentes ſumma cum vtilitate ſubſidia. Pater quidam ex ijs, qui nouiſſimi ex Hiſpania venerant, nactus duas de præcipuis Indorum linguis, ad barbaros quoſdam Superiorum iuſſu ſe contulit: ibi magnam vim hominum ſacro fonte luſtrauit, in ijsq. centum amplius ex vtroque ſexu iam ſenes, quorũ nonnulli eo ipſo, quo renati ſunt die, tanquam iam cœlo tempeſtiui ac maturi de vita migrarũt. Duplici peregrinatione, ſemeſtri non amplius ſpatio, trecentos viros & feminas baptizauit. familias integras nõ pau

cas

cas catecheſi & concionibus iuuit, plurimos à vaga & turpi copula ad honeſtum & conſtans matrimonium reuocauit. Scelera multorum præbendis rite auribus expiauit. non illum frequens imber, non vaſtæ atque horridæ ſolitudines, non aſperitas niuium ac frigorum, non iniuriæ nocturni cœli, ſub quo pluuijs madefactus aquis, pernoctabat interdum, ab animarum cauſſa retardauit. hæc enim ſæpe ferant, hæc ſubeant neceſſe eſt, qui per hos Indiæ tractus conquirere iubentur animas. ſed laborum triſtitiam dulcedo temperat cœleſtium voluptatum, facitque vt alacriter iniucunda, difficilia facile ſuſcipiantur.

In ſede IVLIENSI perpetuis item ſe laboribus fratres exercent, ſiue externis ſiue domeſticis. domi duodecim hominum millibus quotidianum diuini verbi ac Sacramentorum pabulum ſubminiſtrant. Foris diuinis præceptis imbuuntur agreſtes. itumq. eius rei cauſſa varia in loca, præcipue ad ſylueſtre genus hominum, quod in montibus vitam degit, nec vno tantum loco conſiſtit, ſed huc atque illuc venationis cauſſa pererrat. Noſtri dum pari ſtudio venantes venantur, non paucos ex eo numero Catecheſi diligenter excultos, ad baptiſmum adduxerunt: & à vaga illa ſylueſtriq. vita ad elegantiam ſocietatis humanæ traductis, domos apud ſe annonámq. de ſuo ſingulis menſibus aſsignarunt. Multa conſulto prætereuntur, quæ geruntur ab ijs, qui ad exteros dimittuntur. Ne omnes quidem profectiones omnium, quæ in vniuerſa Prouincia quatuor & viginti numeratæ ſunt, commemorari poſſunt. Satis eſt

ex vnaquaque re delibaſse præcipua, quæ & eorum virtutem, quorum narrantur acta, declarent, & ceteris proponant exemplum ad imitandum. Nec vero noſtri tantum ad cogendas errantes oues, ſed hæ quoque ipſæ ad alienos paſtores vel ex diſiunctiſsimis locis venere nonnunquam. Limam cum à Chilenſi Prouincia naues appulißent, vnus è vectoribus ad pietatem ſua ſponte propenſus, cum multa in ea regione de noſtris hominibus cognouiſſet, incenſus tum videndi cupiditate, tum expiandi animi, paſſuum millia quingenta venit. Sane plurimum habet momenti ad animarum ſalutem vitæ integritas ac ſanctimonia, cuius fama ipſa, vel ex vltimis terris homines excitantur.

Habitum eſt hoc anno Prouinciale Concilium, cui noſter etiam Prouincialis interfuit, multaque in eo de noſtrorum ſententia, in Hiſpanorum atque Indorum commodum ſunt decreta. Sanxit Synodus ipſa, præcipue vt catechiſmus & liber aliquis ad inſtituendos animarum cuſtodes, tum Hiſpanica lingua tum duabus Indicis ſcriberetur, cautumque ne quis in poſterum Indis traderet, vt fiebat, ſuo arbitratu Chriſtianæ rudimenta doctrinæ. Data eſt hæc prouincia noſtris hominibus, à quibus magno labore & vigilijs perfectum eſt opus. Idq. tum vulgo probatum, tum ipſi Concilio, cuius per edictum nemini licet inter Indos alia vti formula catechiſmi. Res fuit plane ſalutaris. nam cum antea ſiue inſcitia, ſiue incuria interpretum, plurimi orirentur errores, nouæq. opinionum cauſſæ ſemper exiſterent, nunc huius cate

chiſmi

chiſmi beneficio facile impetratum eſt, vt quid ab Indis ſentiendum quidue reijciendum in fide ſit, intelligatur.

Litteræ ſuos quoque progreſſus habent. Eſt Limæ diſcipulorum contubernium e tribus & viginti collegis, cuiuſmodi ſunt Collegia Salmanticæ vel Compluti. ij noſtras frequentant ſcholas: nec parum ex eorum acceſſione gymnaſio noſtro allatum eſt ornamenti. quanquam autem ſuum ipſi Rectorē probatis moribus habeāt; Noſtri tamen hoc ſuſceperūt, vrgente Prorege, vt eos ad pietatem religionemq́ue dirigerent. ex eoq. numero vt è reliqua diſciplina noſtra, ad cœnobium multi ſe conferunt.

Iam vero commoda quoque augentur externa. Vir nobilis noſtræ vitæ familiæq. percupidus, dum in hac mente ac cogitatione verſatur, mors interuenit. Sed quando nobis tradere ſe ipſe non potuit, ſua certe quin traderet, facere non potuit. hæredem Limæ Societatem inſtituit ex aſſe, totaque hæreditas pluris decem ſcutatorū millibus æſtimatur. Noſtri ei & tanquam fratri, & tanquam benefico parentarunt, eandem illi precati ſedem & locum in cœlo, qui noſtris, vt ſperamus fratribus reſeruatur. Inda præterea mulier, tria aureorum millia teſtamento reliquit, & ab alijs alia Limæ ſunt data. Par ac fortaſſe ſuperior Potoſi liberalitas cernitur. nec mirum, ſunt enim hic argenti fodinæ, vnde in Hiſpaniam diuitiarum plurimum aſportatur. ita quicquid noſtri vellent, à ciuibus vel nutu conſequi poſſent. Sed tamen ſibi temperant, ne pluris aurum quam animas

facere videantur. Templum ibi perelegãter exſtruitur. qua in re maxime Indorũ declaratus eſt amor, ſingulis diebus mille, vbi opus erat confluebant ad fabricã. Senatores vero Regiæ Curiæ, aureos quotannis mille eleemoſynæ nomine decreuerunt. eorum autem rogatu, traditur à noſtris publice Indica lingua, magno tum Indorum, tum Parochorum bono: plurima enim ex eius ignoratione ſacrilegia ac facinora admittebantur, quæ nunc tandem eius ſcholæ beneficio tolluntur omnia.

# PROVINCIA MEXICANA.

ETſi ab hac Prouincia annuum nobis litterarum munus perſolutum non eſt; tamen ex priuatorum litteris nonnulla, quæ ad exemplum communemque lætitiam facere videbantur, excerpſimus. Ea fere ad Paſcuarenſe Collegium ſpectāt omnia. cuius Rector cum animaduerteret ſuperioribus annis ijs de rebus valde ieiune exiliterq. perſcriptum eſſe, & ingentes præteriri fructus, qui ex Indis quos Naturales appellant (id quod in his locis ſpectatur in primis) percipiuntur; ſummam ipſe rerum omnium ad nos perſcripſit, qua & mores gentis, & eius ad Chriſtum conuerſionis initia ac progreſſiones, & ea denique, quæ ex Societatis in eas regiones ingreſſu ſunt conſecuta perſequitur. Ea nos hoc loco ſubijciemus. Noſtrorum autem in hac Prouincia numerus ſolet eſſe minimum centum ac viginti. Quot autem Prouincia ipſa ſit vel aucta tironibus, vel diminuta mortuis, ſciri litterarum intermiſſione non potuit.

## COLLEGIVM PASCVARENSE.

QVoniam hic Hiſpanorum magna vis eſt, multique loci propinqui, ea natione referti; cogimur & eorum, & Naturalium Indorum animis opitulari. Itaq. tanta eſt noſtrorum occupatio, vt ſi plures eſſent operæ, eæ quoque plurimum negotij haberent, ſi vel vnis tantum Hiſpanorum commodis deſeruirent. Quæ tamen occupatio, ſi cum ea, quæ cum Indis ſuſcipitur comparetur, nulla propemodum videatur. De vtroque hominum genere dicendum erit, prius de Hiſpanis, poſtea de Indis. Habentur ad Hiſpanos tum in noſtro, tum in curiali templo, ſtatis temporibus conciones, quarum longe lateq. patuit vtilitas: ſed ea præcipue in componendis iratorum animis verſata eſt. Ineunte quadrageſima, cum primarij ciues diſiuncti diſtractiq. eſſent inter ſeſe, & diuturna iam lite mutuæ quotidie offenſiones exiſterent, vt tantum non ad arma cædesq. veniretur, placuit Deo, Sacerdote noſtro de ijs Euangelij verbis concionante, Diligite inimicos veſtros &c. ita omnes ad æquitatem flectere, vt ſimul ac concionandi factus eſt finis, antequam templo pedem efferrent, violatam amicitiam mutuis amplexibus redintegrarint. Egregium ſpectaculum & lacrymas vel extorquens inuito, ciues nobiles in celeberrimo templo, atque in luce totius ciuitatis, ſupplices ſibi eſſe uiciſſim pacis & veniæ cauſſa; omniaq. Patris arbitrio ac moderatione tranſigenda ac

con-

conſtituenda permittere. Publica fuit ciuitatis vniuerſæ lætitia, eoq. maior, quo maior fuerat deſperatio concordiæ. Per quadrageſimam habetur ad rudes, & ſeruitia domeſtica Catechiſmus. Domi Hiſpanorum ciuiumq. liberis prima litterarum elementa traduntur, vt ea non modo probe norint atque expedite legant. ſed etiam vt calamo ſcite fingant, & exprimant atramento: horum magnus eſt numerus, nec mediocris ex ijs capitur fructus, curantur enim eorum animi pro ætatis captu ſedulo ac diligenter, vnuſq. è noſtris in eam rem totus incumbit, egregia cum laude & commendatione Societatis. Hiſpani ſuam in nos viciſſim beneuolentiã ſtudiumq. declarant, dum ſuis non amplis opibus noſtram leuant inopiam. nam cum huic domui nulli ſint reditus, neq; aliũde ſint prompta quotidianæ vitæ ſubſidia, accedantq. ſumptus domeſticæ fabricæ; tamen quod ad victum & cultum pertinet; ſola hominum liberalitate cuique fit ſatis, eaq. tam voluntaria, tam nullis euocata nutibus, vt noſtri petendi cura, aut contrahendi æris alieni ſolicitudine liberentur. Quid? quod ad templum quoq. cumulus benignitatis aſcendit. nam cum paucis ante diebus ad ſacrificia vix neceſſaria veſtis ornatuſq. ſuppeteret, propterea quod ad Valliſoletanum Collegiũ, vt mox dicetur, omnia pene tranſlata eſſent; nunc de neceſſario apparatu nihil ferme deſideratur. Atque vt hoc ſtudium ſubleuãdæ tenuitatis noſtræ cum omni amoris ſignificatione coniunctum, planius intelligatur, proximo Auguſto noſtris ædibus de cœlo ta-

ctis(sũt enim in his regionibus crebri fulminũ ictus) ſubito concepit ignẽ ſacelli maximi contignatio, quæ aridis cõſtabat ex paleis:cũq.ſerpere momẽto flãma cœpiſſet, & iam in templũ titiones crebri deciderẽt, ſuſpicati ſunt homines, in cineres redactũ iri omnia, erat enim, vt dixi, domus tũ arida materie, tũ gemina contignatione contecta, nulla re intermedia, quæ aut prohibere, aut morari poſſet incẽdiũ. Vt ignis apparuit, certatim aduolant vniuerſi ad ferendã, quã poſſent opem: antiquiſſimum fuit, ignem pabulo prohibere, & quæ alicuius eſſent pretij à flamma defendere. erat tum fœdum imbribus cœlum, & tamen nobiles ac primarij viri, nullas cœli veriti iniurias, res noſtras igni ſubtractas in ſuas ædes cuſtodiæ cauſſa ſuis humeris comportabant. nihil reliquerunt, quod non cum diligentia domi ſuæ conditum aſſeruarent. ipſas quoque imagines tabulaſq. templi vna cum cratibus, & quicquid tolli & commoueri loco poterat, abſtulerunt. Diuini muneris fuit, vt ædes noſtræ, quanquam deletæ iam igne putabantur, propterea quod aduerſus incendij vires vis omnino nulla valebat, incolumes tamen conſeruarẽtur. Tantum ille animi tribus Indis iniecit, vt ædium ſuperiora conſcenderint, obuolutiq. ſuis ipſi pallijs, ſtraguliſq. tecti, medios ſeſe in ignes horribileſque flammas immiſerint. ea ratione, vt vna omnium vox fuit, diuinitus ſtetit ignis. Quid enim cauſæ fuit, cur pallijs ſtraguliſq. parceret, aptiſſimo tamen flammarum pabulo, parietibus vero, ceteriſq. rebus non parceret? adde quod in ea vrbis parte noſtræ

ſunt

ſunt ædes, quæ his maxime cladibus eſt obnoxia, vt nemo dubitet, quin ab eodem reſtinctus ſit ignis, à quo de cœlo vibratus; vt vel hoc ipſo videatur voluiſſe vibrare, vt & quo nos tueatur amore; & quæ ſit ciuium in nos charitas declararet. Illuſtriorem fecit diuini numinis prouidentiam, quod cum fulmẽ accidit, omnes fere domo aberant, erat enim is Ioanni Baptiſtæ neci feſtus ac ſacer dies, quo die ſeptem de noſtris ab Vrbe diſceſſerant, duo longe aberant à diſcrimine: tres, qui proximi erant, ſubito exanimati metu, atque intermortui, mox etiam robur atque animam receperunt. quod ſi reliqui domi manſißent, quis præſtare poſſet omnibus hunc eundem euentum? cum præſertim ille ipſe locus, quo plerumq. colligendi ſui cauſa ſeſe noſtri recipiebant, ſit de cœlo percuſſus. Inanis reperta eſt eo die domus noſtra ab omni ſupellectili, nec vbi quærenda eßet meminerat quiſpiam, erant enim omnium animi pene attoniti, & vt ij, qui cum vim tempeſtatis effugerint, nihil fortunarum ceterarumq. rerum meminerunt, ſalui tantum capitis memores & euitati periculi. Hoc ſuperato diſcrimine, quicquid pij homines è noſtris ædibus cuſtodiendum abſtulerant, id omne biduo fideliter retulerunt. nihil omnino deſideratũ eſt, nihil non repertum. Quod admirãdum ſane fuit; tum quia plurima ſupellex erat; tum quia multa in ea perexigua atque minuta, quæ ſine ſcelere retinere quis poterat; nemine explorante præſertim, quid quiſque ſurriperet, vel aueheret. Hanc fidelitatem excepit cum Hiſpanorum, tum Indorum noua benignitas.

*gnitas. Illi pecuniam, hi operam in reſarciendas ignis iniurias muniendamq́ue paulo firmius domum contra fulminis impetus contulerunt.*

*Suſcepta ſunt ad Hiſpanorum regiones plena vtilitatis itinera, præcipue in oppidum quod Zamorã vocant, multis precibus incolarum. Sed eo Sacerdos noſter vt venit, ita impedita ac perturbata offendit omnia, vt iam de reditu cogitaret. Incitati erãt animi omnium contra Parochum, odiaq. ſpectabãt ad certam cædem, & quoniam pater ciuilis commotionis ignarus, diuerterat ad Parochum, iccirco qui illum æquis oculis aſpicere, aut affari vellet, inuentus eſt nemo. Sed dum ad colloquium ſingulares homines Pater elicit, & ad congreſſum inuitat, vbi plures ſemper difficultates animaduertit, hoſpitij commutandi conſilium capit. Obrepſerat iam Quadrageſimæ ſolemne ieiunium, aptiſſimum anni tempus ad animorum curationem. per hanc igitur opportunitatem, ſtatuit pater ſibi habendã eſſe die cinerum concionẽ. populus nihilominus perſeuerabat in odio, & in Parochum ſic erat incenſus, vt ne eius quidem manu aſpergi ſibi cineres pateretur. minus ergo ſecundis auribus auditus eſt pater. redit tamẽ ad concionandũ perendie, quo die quoniam ex euangelio inimicorum charitas commendatur, viſus eſt nonnihil iras hominum mitigaſſe. Sed inimicus homo, qui ad animarum perniciem ſemper incumbit, eo ipſo die iterum turbauit omnia. Iam ventũ erat ad manus, eductiq. micantes gladij, ac niſi peroppor tune interuenirent, qui digladiantium congreſſum*

pu-

pugnamq́. dirimerent, alij mortui, alij grauibus confoſſi vulneribus efferrentur. Summum tum periculum Parochus adijt, cuius, cauſa omnis illa excitata tẽpeſtas erat. Interim res defertur ad Patrem, qui pro virili parte animis vtcumque ſedatis, poſtridie ad Sacrificium populum vocat, nulla concionis facta mentione, ne vt plerumque fit, multi nondum ſani ſuique compotes, quæ ſibi ſalutaria eſſe poſſent, audire nollent. Peracto ſacro, ſermonem ex æquo familiariter inſtituit ad conciliandos animos accommodatum. Sed ei orationi tantas vires attulit Deus, vt priuſquam perorandi factus eſt finis, diſcordiarum principes valde permouerit. hic fundamenta iacta ſunt pacis, mutuiq́. complexus dati, ſummæ indices charitatis. Poſtea ad eos Pater, qui tum abfuerant, adijt, cum ijſq. Deo duce ſic egit, vt nullæ amplius reſederint ſimultatum reliquiæ. Poſtero die promulgatum eſt à Patre Summi Pontificis Iubileum, nondum enim eo vſque peruenerat. ac per eam occaſionem tanti facti ſunt ad ſacram Confeſſionem Communionemq. concurſus, vt quanquam ille diluculo ad audiendos in templo pœnitentes euigilaret, multi tamen anteuerterent præſtolantes. increbreſcebat deinceps numerus eo vſque, vt ad inclinatum iam in pomeridianum tempus diem, de ſella ſurgere, quo ſe mane reclinauerat, non liceret. Secundum cibum eodem redibat, ibiq. ad quartam noctis, abſoluendis reis operam dabat. ita debitum pſalmodiæ tempus, ceterarumq́. ex inſtituto precũ, commentandiq́. ea, quæ pro concione dicenda eſ-

ſent,

*ſent,id totum ſomno,qui parciſſimus erat, eripiendum fuit. Pœnitentium animis nihil paratius, nihil eorum confeſſionibus explicatius,magna vt eſſet Sacerdotis noſtri leuatio. Confeſſionem ab ipſis pene incunabulis ordiebantur omnes:ſed quoniam per tẽporis breuitatem ( quindecim enim modo dies Pontificis Iubileum tenuit)eius generis confeſſiones tam multas excipere non licebat,complures ex his Pater præſertim eorum,quorum ſtudia non ita incenſa cognouerat,in aliud tempus reijciendas putauit. Exacto Iubileo, ijs tantum confeſſionibus,quæ plurimæ fuerunt & magni ponderis data opera eſt. ita tamen, vt eodem tempore Indorum famulis atque mancipijs,quorum magna multitudo erat, conſuleretur. Sub idem tempus eius rei cauſa è finitimis quoque locis,conferta pœnitentium turba confluxit. Ex quibus nonnulli multos iam annos animos non curarant,qui tamen confeſſionis medicina,quam vehementer egerent,teſtes ſunt Patris aures,quæ ad eorum confeſſiones horrebant. Qui per Iubilei dies ſeſe expiauerant, ij denuo ad confeſſionem paucis ante Paſcha diebus,tanto cum progreſſu ſuiq. mutatione redierunt, vt non ſine magna tum admiratione tum voluptate, multa ſibi ſacerdos de eorum conſtantia ac ſalute polliceretur. Nec vero in tanta confeſſionum ac concionum occupatione prætermiſſa eſt Chriſtiana doctrina. hanc Pater prouinciam cum obire ipſe non poſſet,homini dedit externo, familiari ac probato. attulerat ipſe Catechiſmi libellos duos,alterum Indicè, alterum Hiſpanicè con-*

*ſcri-*

ſcriptum, quibus vtrumque genus hominum facile per vnum aliquem de populo poſſet inſtitui. habebatur ea de re conuentus ſtatis locis atq; temporibus, eoque nonnunquam Pater cum per occupationes licebat, inſpiciendi cauſſa ſe conferebat. Non tacebo unum, quod dum hic verſatus eſt pater inſigne contigit ad docendum, quanti Deus fieri velit Eccleſiæ Catholicæ ritus ac cerimonias. Erat morti proximus æger quidam, nec aderat Parochus; qui ſacramenta nouiſsima miniſtraret. Vocatus eſt ad eam rem Pater, qui hominem vt aſpexit cum mortis angoribus conflictantem, deſperatiſsimum iudicauit. dedit operam ſtrenuam, vt ægrotus expiare ſe vellet, ſed nunquam ex eius ore verbum vllum expreſsit, imo ne vlla quidem ſenſus deprehendit indicia. Interpoſita non longa mora, reuocatur à familiaribus Pater, quod diceret obſideri ægrum à malo dæmone, videri enim Crucis ſignum ſacrasque reliquias admotas corpori geſtu ipſo repellere, redit Sacerdos noſter ſine cũctatione quo vocabatur, ægrumq. magis anxiũ & fatigatum offendit, tanto vndique ſudore manantem, vt ex fluuio aliquo, tum primũ videretur emergere. Apparebat tumor in gutture ac diſtortio quædam, vt ſi quis fauces arcte comprimeret. Pater cum uim Dæmonis non leui coniectura ac ſuſpicionibus coargueret, ad exorciſmos preceſque deſcendit: ita pacatiorem illum quidem, ſed mortui ſimilem reddidit, fuſum ac ſtratum toto cubili ſine vllo motu, ſine voce. Poſtridie rediјt iterum angor ille, & reliqua æſtuantis ægri deformitas non

ſine

*ſine magna Patris admiratione, qui dum rei cauſam ſecum ipſe perquirit, venit in mentem, quod de Thobiæ coniuge ſacræ narrãt hiſtoriæ, placuitq. de ægro quærere, vxoremne haberet, & quod illi vitæ genus & inſtitutum eſſet. reſponſum eſt, non multis ante diebus vxorem ab eo ductam, verſariq. vna ambos, nondum tamen factum eſſe ſacrum, nec adhibitas ceremonias ex Concilij Tridentini præſcripto. Pater tanto magis ingreſſus in cauſſam, ſuſpicatus eſt pœnã illam immiſſam eſſe diuinitus, quod neglecta viderentur Tridẽtini Concilij decreta. Peractis iterum exorciſmis, conquieuit iterum æger, multoque factus eſt melior. ſed quo facilius reliquam curationem admitteret, dedit operam Pater, vt vniuerſæ vitæ peccata confiteri vellet. Igitur generalem illã confeſſionẽ orſus, quam ex inſtituta formula Confeſſionis Hiſpanicæ, ante peccatorum enumerationem præfari ſolent; vbi ad ea verba peruenit, quibus Diabolo remitti nuntium ſignificatur, illico ſubſtitit, nec progredi verbum potuit. Vrgebat tamen nihilominus Pater, & vt verba illa proloqueretur, inſtabat. ſed cum illuc ventum erat, aut ea præteribat ſilentio, aut ad initia & præterita recurrebat. Quod cum Pater attente perpenderet, ſtatuit planam illi ſuſpicionem ſuam facere: qua edita atque expoſita, iuſsit obtemperari Concilio, atque interim coniuges ſeparari. Quid multa? reddidit Deus firmitatem ac valetudinem ægro, vt dubitare iam de cauſſa non poſsit, qui ſublatam cum cauſſa viderit pœnam. Tum denique ad expianda anteactæ vitæ peccata, & ea enuncianda,*

da, quæ antea nõ poterat, adductus eſt: ex eoq. tẽpore ſolutiore ſemper animo fuit. His Pater officijs vſque eo omnium animos ſibi deuinxit, vt eius poſtea diſceſſum moderate ferre non poſſent. Sed ſuadebant reditum domeſticæ curæ: & ſua quoque ſubſidia, relicta ciuitas requirebat. Zamorani vt omni comitate atq. officio manentem Patrem complexi ſunt, ſic abeuntem omni officio proſequi voluerunt. Sed de Hiſpanis ſatis. Venio ad Indos Naturales, vt primum quæ ſit regionis natura, quiq. hominum mores; deinde quæ fuerint horum conuerſionis initia, & quæ pietas: tum quæ per Societatis homines diuina bonitas geſſerit doceamus. Eſt Mexicana regio, maxime temperata: vbi nulli ſunt immoderati calores, nulla frigora duriora: cœlum omni flatu noxio caret, idq. perpetuo fere anni tempore. temperat nimios calores veſpertinus præſertim imber, qui à Sextili ad Septembrem quotidianus eſt. Nam matutina tempora ſunt plerumq. nitidiora, noctes etiã puræ ac ſerenæ, nulla cœli perturbatione vel caligine fœdæ. atque hoc demum regionem & ſi ea torridæ Zonæ ſubijcitur, celebrem facit. Pomorum magna tum varietas, tum copia: frumento & pecore abundat. Vaccina caro adeo vilis eſt, vt duodetriginta libræ ad denarium ferme redierint, cum tamẽ hic denarius, quam alibi ſit dimidio minor. Stat veruex duobus duntaxat tribuſue denarijs. vix autem vno gallina, quò ſi pretium aſcendat, ſummum putatur. Ceterarum item rerum tanta vilitas eſt, vt in quotidianum victum nulli pene ſint ſumptus.

V Me-

*Mechoaca nouæ Hiſpaniæ prouincia, diſtat ab Vrbe Mexico, leucas circiter quadraginta, ab altitudine poli, gradus vndeuiginti. Prouincia vero ipſa Mechoacana leucas colligit per ambitum octoginta, totaq. Vrbibus oppidiſq. diſtinguitur. abundat ſuauitate & multitudine piſcium, herbis etiam atq. arboribus ad morborum remedia ac vulnera pluſquã reliqua regio. Multi in ea ſenes, valentes omnes, hominum corpora procera atq. optime conſtituta. ingenia mitia atque erecta. verbo vix edito alienam mentem aſſequuntur, verbo item explicant ſuam, idq. periti imperitiq. linguæ, cum tamen in noſtrorũ lingua ſint pene ſurdi. Lingua autem vna & eadem eſt fere vbique, quam Taraſcam vulgus appellat, & Mechoacana dicitur, quæ non magno illa quidem ſtudio ac labore perdiſcitur, ſed eſt tamen vſque adeo artificioſa, & tam admirabili compoſitione atq. contextu, vt linguarum periti, negent vllo pacto ſibi videri cum ea conferendã eſſe, ſiue Græcam ſiue Latinam. adeo autem locuples eſt, vt nihil ſit, quod pluribus vocabulis, ijſque maxime proprijs efferre non poſſit. orationis particulis abundat, unde omnis difficultas oritur ſi qua eſt: nam quanquã ſine ijs linguæ conſtat intelligentia, oratio tamen efficitur inquinatior. eſt Latinæ ſimillima, vt ſæpe altera pro altera vtaris imprudens. atque hæc nimirum cauſa eſt, cur facilior cum ſit, probe tamen teneatur à paucis; ſuppetunt librorum auxilia multa, vnde eius diſciplina petatur, qui & loquuntur caſtiſſime, & ſunt de rebus quæ lectorem alliciant.*

Com-

Commendant præterea artes ingenia. ab his varia illa opera ex auium pinnulis elaborata, ab his inciſæ in arundinem peruenuſtæ picturæ, ab his alia multa præclara ad aſpectũ, plena artis, plena ingenij prodierunt. Quicquid operis faciundum loces, id illi quamuis oculis nouum & nunquam antea conſpectum, modo exemplar afferas, recte ac perite, nihil vt deſiderare poſſis, efficient. Sunt ad virtutem ac pietatem, vt hoc ipſum mox planius, natura ipſa propenſi, externoq́. templorum cultui deditis, quam qui maxime. atq; iccirco optimi inter eos ſacrorũ ſymphoniaci reperiuntur, qui miſſarum ſolennia non minore cum apparatu celebrant, quàm in ſuis templis Hiſpani: adhibentq. tibias tubaſq., lituos, & id genus alia permulta, quæ ſua arte ingenioq. perficiũt. Gentis origo incerta. apparet tamẽ non omnis fuiſſe veritatis expertem. Nã & mundũ diuinitus conditum ab aliquo temporis principatu, & fictum dicit hominem ex argilla, & vniuerſam terram ab imbribus inundatam. Sed fabulis miſta ſunt omnia. Perſtringam nonnulla breuiter, vt quantis ex tenebris hanc Deus gentẽ eruerit, magis appareat. Aiebant a Dijs fictos homines ex cinereis orbibus octo, ſanguine imbutis, expreſſo ex aure cœleſtis nuntij, quẽ ad id ſuperi deſtinaſſent. Eum autẽ nuntium appellatum eſſe Curiti Caleri, hoc eſt Sacerdotem magnum, qui cum eas, quas dixi, pilas in pollubro dies aliquot habuiſſet, ex earum quatuor ſua ſponte mares, è reliquis feminas prodiiſſe, inconditos tamen ſine vlla coagmentatione membrorum, vt ne ad ſeden

dum quidẽ, cubandumue reclinare ſe poſſent. Cumq. in eis coagmentandis diſſoluendiſue ſemel, iterum ac tertio, fruſtra nuntius ille ſudaſſet, tum Deos reſeratis omnium fontium ac fluminum oſtijs, improbata opera, perpetuis quinque dierum inundationibus deleuiſſe. ijſdemq. imbribus deletas res vniuerſas, & hunc terrarum ornatum, quem cernimus: cuius habebatur effectrix inferorum Dea. Cœleſtes enim aiebant Deos, inferorum mandaſſe Deo, vt infera omnia gignenda curaret. ita eius coniugem cum imperata faceret, primum montes infœcundos ac ſteriles genuiſſe, quippe nudos ab arboribus, nudos ab herbis: eodemq. tempore ipſam quoq; genuiſſe tellurem fructu carentem. Sed cum cœleſti Deæ, quæ Deorum omnium mater habebatur, res incommoda videretur, filios ſuos terram obambulare occulte non poſſe; ſed quacumque ingrederentur, omniũ oculis eſſe ſubiectos; imo ne ſibi ipſi quidem licere ad eos ſe demittere, cum liberet, propterea quod luce proxima proderetur; iccirco inferorum imperaſſe Deo, vt ei incommodo mederetur. ita ab eius poſtea coniuge & arbores eſſe genitas & animantes, & quæcunq; oriuntur è terra. In eo vero cataclyſmo, quoniam vniuerſa Dij ſuperi deſtruxerunt, nec vlla reſtabat hominibus gignendi ratio, fugæ eos cepiſſe conſilium: ſed quia nulla patebant effugia, per aſperas reptaſſe rupes, atque inde præcipitatos miſere perijſſe, duobus dumtaxat exceptis, viro ſimul ac femina, qui montis editiſſimi beneficio ſeruati ſunt, in eoq. monte tam diu dicuntur hæſiſſe, dum deflu-

xiſſent

*xiſſent aquæ: poſtea de monte in patentem deſcendiſſe planiciem, animantium cadaueribus ſtratam. Et quoniam rebus omnibus eluuione deletis cibariorum nihil erat, collecta lignorum ſtrue, excitatoq. igne, torrere carnes illas cæpiſſe. quarum nidor cum ad nares Deorum matris perueniſſet, quæſiuiſſe Deam, quid rei eſſet, num quis adhuc in terris ex hominibus potereſſet? cum duos adhuc ſuperſtites cognouiſſet, tum ſummo Sacerdoti mandaſſe, vt in terras lapſus eos quoq. perderet ac deleret. feciſſeq. ſummũ Sacerdotẽ imperata, & ſummis homines capitibus cucurbita cæſos, in canes ſubito conuertiſſe. Tum à Dijs ſummum Sacerdotem iterum deſtinatum, qui quarto conderet homines, ab eoq. ſphæras ſimiliter octo cinereas in pollubro habitas vt fecerat primus, ex quibus feminæ quatuor, totidemq. mares exſtiterint: quorũ Dijs conditio cum probata demũ eſſet, nouæ eos benedixiſſe proli, atque exinde quotidie prolẽ ipſam auctã, alioſq. atq. alios deinceps genitos. Sed vt reliquus terræ renouaretur ornatus, Dijs inferis negotium à ſuperis eſſe datum, vt quæ dilapſa occiderant, inſtaurarent. ita ab vxore Dei qui inferis præeſt, arbores, plantaſq. prognatas, ceteraq́. omnia, quæ ſub aſpectum cadunt. Rebus omnibus conſtitutis atque perfectis, ſolem iterum apparuiſſe nutu imperioq. cœleſtium, quem ſimul cum rebus ſuperis condidiſſent. Nam infera ab inferis, ſupera à ſuperis facta Dijs opinabantur: portentum Manichæorũ deliramentis ac fabulis non diſſimile.*

*Iam de immortalitate animi, & ſedibus quo con*

 cedit,

cedit, cum de uita migrat, magni impunitas garriendi. Cœlum quidem bonorum virorum ſedem eſſe volebant; ſceleratorum inferos: ſed tamen in cis regionibus ſimilem atque in his vitam agi. eamq. ob cauſam multa ſibi ſinguli comparabant, quæ hinc abeuntes non modo vitæ, verum etiam operæ cauſa ſecum ipſi deferrent. Principeſq. viri multos, quos ſibi poſt mortem comites adiungerent, occidebant, ne videlicet incomitati in ea loca diſcederēt. Sacrificia plurima erant, colebant enim magnum Deorum numerum, qui quidem homines fuiſſe putantur rebus geſtis nobiles ac virtute præſtantes. hos vita functos, quoniam varias induti formas, ſeſe viuis non ſine fraude Dæmonis exhibebant, reponebant in Deos. Suus cuiq. artificio ac muneri Deus erat, ſinguliſq. Dijs ſua ſedes in montibus, vbi ſacrificijs & hoſtijs placabantur, cuius etiam rei multa extant hodie veſtigia. Feſtos dies immolandis hominibus funeſtabant, eique rei deſtinabantur aut captiuorũ corpora, quos cepiſſent in bellis, aut eorum in quos lex iuberet animaduerti. Sacrificium ſequebatur epulum, ex humanis hoſtijs ac ſanguine: potabatur ad ebrietatem; canebantur ad epulas, Dei laudes, cui ſacra fiebant: nec deerant Sacerdotes, qui pro concione, quid eſſet agendum in honorem eius Dei, & quanta ab eo accepta eßent beneficia, commemorarent. Sacrificio peracto vt plurimum ſe dabat diabolus in conſpectum, varijs formis atque perſonis. declarabat ſe præcipue Sacerdotibus primarijs, eisq. humanas hoſtias quam plurimas imperabat,

bodie-

hodieque nonnulli ex ijs, quibus ſe ſpectandum obiecit, ſuperſtites adhuc ſunt. Sed tanta hoſtis immanitas nihil illi profuit. nam dum plurimam quotidie cædem imperat, ſentiebat enim modicum ſibi tempus eſſe, conflauit ſibi ita hominum odia, vt vbi euangelij lumen apparuit, cultores eum ſui non inuiti deſererent. Accedebat vaticinium maximi Sacerdotis ex ipſorum numero atque gente, qui diuino haud dubie afflatu cecinerat, veritatem patefactum iri quãprimũ, idemq., vt ex ijs qui eum norunt accepimus, præcipueq. ex ipſius Sacerdotis miniſtro, qui etiamnum ſuperat, ea ſæpe docebat, quæ cum Chriſtiana religione congruerent. Dies etiam feſtos Chriſtianorum ritu colebat, Natalem in his Domini, & glorioſam Anaſtaſim. quos ille dies quo maiore religione ac pietate recoleret, ſolitus eſt multo ante ſeſe à turba negotijſq. ſeiũgere. Quo circa tantũ ſibi auctoritatis peperit apud omnes, vt quicquid ille iuberet, oraculi vim obtineret. Hoc itaque præſidio, Deus pro eximia eius in humanum genus clementia, populum illum, qui iacebat in tenebris, ſenſim traducebat ad lucem. ita vt complures, cum euangelij lumen in has regiones illatum eſt, negarent ſibi videri noua, quæ ab Euangelij præconibus afferrentur. Poſtea vero quam de Hiſpanorum aduentu cognitum eſt, contulit ſe Mechoacanæ Prouinciæ Rex, cum familiaribus ad Marchionem de Valle, vt eius nutui Catholiciq. Regis imperio poteſtatiq. ſe dederet, modo ipſe cũ ſuis ea religione, quam ſuſcepturi eſſent, imbueretur. Vrbẽ etiam ſuam liberaliter obtulit, ba-

*ptizatuſq. cum alijs nonnullis eſt à cœnobitis quibuſdam, qui ſe illuc cum Marchione contulerant. Regem poſtea imitati ſunt reliqui.ſed cũ ſacramentorum adminiſtri perpauci, Indorum vero gens pene eſſet innumera.plerique Chriſtianis moribus atque doctrina non ſatis exculti,quamuis adminiſtraretur illis baptiſmus,quid tamen ſuſciperent,non videbant. Conſuetudine tantum duce ad baptiſmum concurrebant, & mutuo potius exemplo permoti, quam conſilio & ſapientia. quæ res magnum in hunc vſq. diem dubitandi locum reliquit, an baptiſmo luſtrati ſint omnes. luſtrabantur enim propter multitudinem vniuerſi, nec ſatis conſtare poterat, an aqua ſingulos aſperſiſſet. Poſtea anno huius ſæculi duodequadrageſimo præpoſitus nouis hiſce Chriſtianis eſt Epiſcopus Vaſcus de Quiroga, primus & vere parens huius Eccleſiæ.is annos duodetriginta Mexicanã rexit Eccleſiã. Ab hoc omnis ſalutis initium & inſtituta adeo ſalutaria, vt in his locis ſtet hodie Chriſtiana religio,huius tantum legibus inſtitutiſq. ſeruandis. cuius gratiſſima memoria in omnium animis ita viget, vt etiam num viuere videatur. Is Deorum inanium ſimulacra deleuit,vt ne veſtigium quidem tam nefarij cultus appareat. Is vxorum multitudinem ſuſtulit, & matrimonium duorum tantum coniunctione definijt. Is reliquos, qui baptiſmum nondum acceperant, Catecheſi inſtituendos baptizandoſq. curauit. Is templis ſacriſq. ædibus magnam habendam eſſe venerationẽ, non tã docuit oratione,quã re;curabat enim ædificanda no*

ua

ua templa, ornanda, inſtruenda rebus omnibus ad ſacrorum cultum neceſſarijs. quod exemplum tranſlatum ad poſteros, cernimus etiam hodie, vt poſtea planius perſpici poterit. Studuit ſimul ac de Societatis ortu inſtitutoque cognouit, aliquot è noſtris huc euocare. intelligebat enim, quod Societati noſtræ propoſitum eſſet, id mirifice cum ſuis inſtitutis ſtudijsq. congruere. Nam qui de noſtris viciſsim eius diſciplinam & inſtituta nouerunt, affirmant, nihil diſciplinæ noſtræ fieri poſſe ſimilius, vt Ignatij diſcipulũ poſsis agnoſcere. Itaque cum in Hiſpaniam ad grauia negocia Epiſcopi nomine, Canonicus ille, qui Choro præeſt & Cantor inter ſuos dicitur proficiſceretur, dedit ei in mandatis, vt aliquos de noſtris adduceret, caueretq. ne inanis rediret. Quod cum ille omni ſtudio ac diligentia curaſſet; nec tamen varijs de cauſsis impetrare potuiſſet, vt quenquam ſecũ aueheret, idq. Epiſcopo retuliſſet, Epiſcopum reſpondiſſe ferunt (pro ea qua erat animi moderatione) nondum ipſos fuiſſe dignos nouis illis Eccleſiæ præſidijs: fore tamen aliquando tempus, cum eò noſtri venirẽt, magno ciuium bono & animarum compendio. Hæc ſanctiſsimum virum ceciniſſe, Cantor is, quem dixi, teſtatur, & quidem noſtro nuper, cum inſpiciendæ Societatis cauſſa eò diuerteret, Prouinciali. Videtur Deus tanti viri vaticinium comprobare exitu voluiſſe: paucis enim poſt diebus, quã in Mexicanam Prouinciam Societas penetrauit, Epiſcopo iã exſtincto, Canonici de noſtris aliquos acciuerunt, eisq. has primum dedere ſedes, annuis cum reditibus aureorum cir-

circiter quingentorum. excepti ſunt noſtri inuſitatæ charitatis officijs, traditaq. illis eius templi poſſeſsio, quod in his locis primum dicitur fuiſſe constructum, quodq. defuncti Epiſcopi cinis corpuſq. nobilitat: vt diuinitus factum putes, vt is, qui eodem instituto vitæ tenebatur ac nos, eodem quoque nobiſcum templo ac ſepultura coniungeretur. Canonici cum ſuam nobis aſsignaſſent ædem, ipſi in aliam inchoatam, ſed nondum perfectam immigrarunt. ædes vero, quam nobis reliquerunt, ſatis eſt ampla & bene materiata, eamq. cũ ſuis ædibus extruxiſſe fertur, nutu admonituq. diuino B. Vaſcus. optimo loco ea ſita eſt, vbi Regiam aiunt fuiſſe domum, ſedemq. ſacrorum: vt videatur voluiſſe Deus, ſuos ſibi honores gloriamq. reſtitui, vbi tot nefarijs ſacrificijs erepti eßent. Locus eſt amplus & peramænus, quẽ pulchriorẽ efficit aquæ fons manu factus, tam copioſus ac largus, vt tota hinc ciuitas hauriat. Ad hoc ſoli ſpatium quantumuis amplum, magni quidam adiecti ſunt horti, noſtris ædibus continentes. qui antiquorum Regum fuiſſe dicuntur, feraces in primis & qui multis partibus plus reddant, quam acceperunt. Vt igitur hanc Vrbẽ Societas attigit, magna ciuium cum approbatione vacare ſuis ſtudijs ac muneribus cœpit. Prima cura fuit ſermonem gentis addiſcere. ſic enim Indorum neceſsitas ſuadebat. Et quanquam magna tum erat noſtrorum paucitas, tamen non minimo fuiſſe vſui videntur Eccleſiæ. paucis enim ab ipſorum ingreſſu diebus, grauiſsima inuecta peſtilentia miſerabiles edidit ſtrages. In ea noſtri pro neceſ-

ſitate

ſtate præſto cuique fuerunt. Multis in pagis è trecentis, quadringentiſue familijs, decem vix ſuperſtites remanebant, in alijs ne vnus quidem. totaque noua in Hiſpania ſummum erat effugium, ſi è tribus incolarum partibus, vna dumtaxat euaderet. Noſtri egenorum miſeratione commoti, quos iam vltima premebat neceſsitas; ſtipem cogere oſtiatim, ditiores adire, corrogata ſubſidia paſsim uiritimq. diuidere. Enituit tum maxime eius, qui nunc eſt, Epiſcopi charitas, viri de Societate noſtra tā meriti, quam ſi eſſet parens. is per noſtrorum manus copioſis eleemoſynis miſerorum occurrit inopiæ. Erāt Indorum ædes mæſtæ ſæpe vel funeribus, vel gemitibus morientium. alij cibi deſiderio, nemine ſuccurrente, peribant: alij iam mortui iacebant inhumati, quoniam qui curaret funus, omnino non erat. referta erant ægrorum multitudine Noſocomia, vix vt erectis ac ſtantibus, nedum proſtratis ac iacentibus locus eſſet. Duplicabantur ægrorum domus & valetudinaria. quanquam vrbs vniuerſa valetudinarium quoddam dici poterat. Viuis, quibus adhuc eſſet anima, opportunus à noſtris cibus ſubminiſtrabatur, nec paucos hæc cura reſtituit. Mortuis funus procurabatur, & primo quoque tempore ne cæteri noxio cadauerum afflatu inficerentur, efferebantur. Sed quod caput eſt, dabatur opera, vt moribundi rite expiati inunctique migrarent. Atque hæc noſtrorum officia non modo ciuitas, ſed finitima quoque oppida ſunt experta, idq. agnoſcunt hodie, & eorum in nos amor putatur hinc ortus. Biennio aut triennio poſt, vbi peſtilentiæ vis

re-

remiſit, cum Eccleſiæ Metropolitanæ peropportunum videretur (id quod bonis nominibus iam pridē agitauerat) Valliſoletum commigrare, paſſuū millia fere viginti ab hac vrbe disiunctum, placuit illuc ſuas transferre ſedes, vt quadriennio ante publicis mandatum eſt litteris. Canonici tantum cum Societate migrarunt. ſic enim R. P. Noſtro Generali viſum eſt, vt noſtri cum reliqua migrarēt Eccleſia, relictis tamen Paſcuarij ſedibus ad Collegij vſus animique relaxationem. Erant adhuc ægri complures, peſtilentia nondum deleta, ijq. cunctis deſtituti præſidijs, vt ne Sacerdos quidem, qui eorum confeſſiones exciperet, ſupereſſet. Qua re commoti Noſtri pro viribus laborarunt, vt ægrorum ſaluti conſulerent. plurimi quotidie audiebantur, plurimi item catholico ritu appropinquante morte inungebantur. Viſebantur quotidie incredibili cum ipſorum ſolatio, eamq. ob cauſſam deferebantur ægri longinquis etiam è locis noſtrorum fama permoti. Non ſileri patiar hoc loco, quanta ſint Indorū aduerſus ægros officia: præcipua enim huius gentis laus ea nimirum eſt, quæ in eius elucebat Epiſcopo, charitas ſingularis aduerſus inopes & ægrotos. Itaque nunc valetudinarij, & hoſpitalium ædium ſumma cura eſt. Nullum eſt oppidulum, vbi præter xenodochiū, quò ſumma humanitate cum peregrini omnes, tum maxime Sacerdotes ac Cœnobitæ recipiuntur, Noſocomium aliquod promptum paratumq. non ſit, ex ædificijs omnibus nobiliſsimum, ſæpeq. ſua amplitudine ſuperans oppidum. Nullos hæc valetudinaria reditus

ha-

habent, & tamen melius, quam multa ex optimis Hiſpaniæ Noſocomijs adminiſtrantur. Eius rei cauſſa inſtitutæ ſunt ſodalitates quædam ex ijs hominibus, qui ſuam operam nauent ægrotis. His pro vicis oppidi, in ſingulas hebdomadas ægrorum miniſterium cu raq. diuiditur. Vbi ſua cuiq. vico recurrit hebdomas, exeunt è ſuis ædibus omnes viri feminæq. cum liberis ac domeſticis, obſeratiſq. foribus, ea ſecũ ipſi deferunt, quibus per hebdomadam paſcant ægros, nihil vt in eos, præter id, quod ſodalium charitas domo attulit, impendatur. Eſt ſuus cuique Vico præpoſitus quidam, apud quem ſua quiſque deponit, quæ parauerit ægris, non ex eſculentis modo, ſed ex mappis etiam toralibus, mantilibus ceteroq. cultu menſarum, quæ omnia ab eiuſdem Vici ſodalibus in commune collata, cuſtodit ac diſpenſat poſtea dux ille, quem dixi. Sed antequam ſuam quiſque vicus hebdomadam ineat, præmonetur ab eo, qui præeſt ſeptẽ ante diebus. quod illi tempus in conuehenda lignorũ ſtrue atque ignium materia conſumunt. Et quamuis prope oppidum ſyluæ non deſint, tamẽ quo ſint ignis pabula meliora, ſex octoue millia paſſuum, materiæ cauſſa contendunt. Feminæ in quærendo frumento, farina, & rebus ſimilibus occupantur. Tum ad Noſocomium quæ apparauerint, deferũt, eaq. certo in loco condita, nitide ac diligenter aſſeruant. Qui vero ſuæ hæbdomadæ munus expleuerint, ceteris locum cedunt, alteriuſq. vici fœminæ cura ſuſcepta, conficiendis ægrorum dapibus coquendiſque ſe dedunt, eaſq. quam mundiſsime præparant. Viri aut cæduã

ſyl-

ſyluam, quam ſuperioribus diebus apud ſe quiſque congeſſerit, aut ægra corpora, quæ in oppido, vel extra oppidum deprehenderint, in Noſocomium conuehunt. Cum enim quiſpiam ægrotat, vel nutu ſodales admoniti momento conuolant, et quaterni ſeniue impoſitum lecticæ vel ſellæ ægrum, ad Noſocomium deferunt: ſed confeſsionis & Euchariſtiæ cauſſa ad nos prius deportant. expiatus Sacramentis collocatur in lecto, eiq. rebus omnibus opportune conſulitur. In Noſocomio dies nocteſq. fax plurima. viri per noctem vigiles aſsident, vt ægrorum neceſsitatibus quam celerrime pareant. feminæ latent, & quieti ſe dant. ſiquis ab extremo periculo non procul abſit, exeuntium Sacramento curant vngendum, eiuſq. exitum & pijs precibus adiuuant, & oratione confirmant. Vt hominem mors extinxit, cogũtur omnes; ac ſi mortuus inops fuit, ſuis ipſi opibus curant funus non ſine pompa. In morbis vel leuiſsimis antiquiſsima cura eſt, mederi animis Sacramentis, priuſquam admoueatur corpori medicina. durum enim putant ac formidoloſum, accedente morbo, medicinam animi non præcipere. quod ſi quem prius opprimat mors, quam aut cõfiteri peccata aut rite inungi potuerit, nihil æque commiſerantur, atq; huiuſmodi caſum. Hæc omnia hodie quoque tam ſancte ſtudioſeq. ſeruantur, quam ſi nunc primum inſtituta eſſent: tanta vis fuit tum exempli, tum doctrinæ primi paſtoris. Itaq. non mirum, ſi ita ſe declaret his hominibus Deus, vt veriſsime ſermocinari cũ ſimplicibus videatur. Quo in genere ea noſtri vide-

runt

runt & acceperunt, vt niſi tam firmis teſtibus nite rentur, uix ea crederent ſapientes. ægris ſolitam eſſe cœli reginam, ſolatij & auxilij cauſa ſeſe ſpectandam offerre, nimirum vt eorum erga ſe pietatē (ſemper enim in ſuis calamitatibus huc confugiunt) hac quaſi mercede compēſet. Inda in Valetudinario graui affecta morbo, omni humana ope deſtituta, amiſſa omni cupiditate cibi, vidiſſe dicitur admirabili ſplendore mulierem, quæ cibos præberet ægris, duabus comitatam eximia venuſtate virginibus, quæ lances prandiumq. ſuis manibus ſuſtinebant. cumq. ea propius acceſsiſſet, tum vehementius mulieris pulchritudinem admirata: indignumq. ſibi eſſe viſum, tali dignitate feminam tali in loco verſari, monitaq. â duabus eſſe virginibus, ne quid timeret, eam enim eſſe cœli Reginam, quæ ſuos ægros inuiſeret. ſe autem eius eſſe comites & ancillas, alteram Catharinam, alterā Magdalenam. quæ cum eius animum confirmaſſent, poſtea mundiſsimam prætendiſſe mappam velut ad menſam, acceſſiſſeq. MARIAM Virginē, & cibū in os inſeruiſſe, quo illa mirabiliter recreata ad ſanitatem eſt repente perducta. Hæc eadem viſa tā multis eueniſſe cognouimus, vt ob hanc cauſam magna ſit Noſocomij religio, eſt enim hæc vbique fama, ſedē in eo ſuam Beatam ſibi Virginem delegiſſe. Sed quā ſit ad pietatem horum hominum natura propenſa, quanquam ex his, quæ diximus liquido conſtat, tamen illa quoque valde declarant: ſtudium ſacrarum rerum, myſteriorum creber vſus, ceremoniarum ac religionum cultus. nam quod ad ſacrorum ac templorum

rum

rum procurationem pertinet, ſi tota ciuitas dilaberetur, omniaq. diriperentur, vaſtarentur, incēderentur, vt multis in oppidis peſtilentia vaſtatis nuper apparuit, ſacra tamen ædes, & Sacerdotis adiuncta domus ab omni incommodo prohibenda eſt. Et quamuis in reliqua ciuitate vnus duntaxat ſupereſſet Indus, eius tamē omnis cura in iis defendēdis tutādiſq. collocari debet. Si quid his hominibus pretij eſt, ad in hāc vnā rē conferunt, vt diuinus in templo cultus, & tabularum pulchritudine niteat, & pretioſæ veſtis ornatu. Dies feſtos, præcipueq. diem illum, qui templi Patrono ſacer eſt, magno apparatu, ac ceremonia celebrant: quamplurimos ad templum inuitant, vt quam refertiſſimum & frequentiſſimum ſit. quotidieq. aliqui de noſtris ſacrificandi cauſſa in pagos proximos euocantur, in quibus vix interdum tres quatuorue incolæ numerantur, nec tamen ſumptui laborive parcunt, quo apparatiora & ſplendidiora ſint omnia. ſubductis poſtea rationibus, deprehenditur apparatus impenſa, aureorum ſæpe triginta & quadraginta, cum tamen tāta ſit Indorum tenuitas, vix vt eis aureus nummus ſuppetat ad tributum: ſæpeq. annuus familiæ ſumptus ad aureos vix quaternos aſcendat. Quod ſi ad domeſticum victum omnia deſint, nihil tamen deeſſe debet ad templum. ac ſi quam in rem ſuos labores libenter impendunt, in tēplorum inſtaurationem impendant oportet, aut certè in conſerendos agros, vnde pecuniam ad ornanda templa conficiant. Ita fit vt nullus tam tenuis pagus oppidumue ſit, vbi non ea ſuppetant vniuerſa, quæ

ad

ad peragenda ſacra ſint opus. Quod ad celebranda ſacramenta pertinet, quanti ſint Indorum cum ad confeſſionem acceſſerint, apparatus, non facile dixerim, ſanè Sacerdotes noſtri confirmant, minus ſibi graue eſſe decem Indis, quam vni de reliquis operã dare. ſunt Indorum confeſsiones explicatæ, ſimplices & apertæ, vt nullum faceſſant Sacerdoti negotium, peccata ſingillatim excutiunt, eorumq. numerum in vnoquoque genere quam diligentiſsime notatum habent. qua in re non tam pietas quam ingenium, contra quam vulgus opinatur, elucet. Dolor pœnitentiæ comes, tantus eſt, vt ſæpe eius Sacramenti miniſtrum tacito pudore perfundat. nec vero inferius eſt, quod miniſtris ipſis diuinitus impartitur, vt nemo non libenter Indorum ſordibus ac ſquallori, vbi cœleſtes dulcedines delitescunt, nitida ac pretioſa nobilium veſtimenta poſtponat. Obſequuntur præterea Sacerdotibus quocumq. ducant, facileq. patiuntur perſuaderi ſibi, quicquid illi ſuadeant. ſi quid alteri debeãt, admoniti continuo reddunt: ſi nihil ſit vnde debitum vel ablata diſſoluant, omnem quærunt ſoluendi viã, vel cum incommodo & detrimento familiæ. Si, quæ reſtituenda ſunt, ad eum ſpectent, qui iam vita exceſſerit, multa relinquunt vel in ſacrificia funebria ſolemnesq. pro mortui anima precationes, vel eius nomine pios alios in vſus. In perſuadenda inimicorum charitate eadem facilitas: quin priuſquam ad Sacerdotem accidant, intelligunt ſibi cum inimicis redeundum in gratiã, ſi ſibi Deum velint confeſsione placare. quodſi quis forte petenti veniam neget, flagitij

inſtar habetur. Pauca dumtaxat huius generis ſubijcientur. Quidam graui accepto vulnere, cum inter peccatorum expiationem de condonanda admoneretur iniuria, libenter inquit, parcam, & percuſſorem quem complectar accerſam. eam curam cum Pater ipſe ſuſciperet, nec auderet inimicus inimico ſe credere, non ignarus quã commoti parentes eſſent, quibus cum videbat ſibi rem fore; Pater hominem ſe ſequi iuſsit, confeſtimq. ægrum parentesq. conuenit. cum eis de pace ſic egit, vt nihil tam facile impetrarit: tantum apud eos noſtrorum auctoritas & innata quædam bonitas valet. reſponderunt parentes, modo filio Deus peccata remitteret, ſe quidem eſſe paratos ad omnia. cum pro Deo pater ſpopõdiſſet, percuſſorem aduocat ad amplexũ, atque ita demum reſtituta pax eſt. Ac ne tanta facilitas ſuſpicionem ſimulationis afferre poſsit; Noſocomium, in quo curabatur æger, Gubernator ingreſſus, cum ex ægro quid ei mali accidiſſet, ſciſcitaretur, rem æger ſilentio diſſimulabat, cum tamen Gubernator vrgeret, ex ceteris tandem quid actum eſſet, agnouit. mittit igitur, qui percuſſorem comprehendant, vt in eum pro ſuo iure ac poteſtate animaduertat. quod vbi à parentibus reſcitum eſt, affuere illico, negantes ſe ius poſcere, cum compoſita iam eſſent omnia: quod enim conſtitutum eſſet à Patre, id nihil immutari ſe velle, rogareq. etiam atque etiam ne reus conquireretur ad pœnam. Atque hac facilitate Indorum leniuntur iræ. Nec minor in placanda Inda facilitas. quæ cum in mulierum rixa male accepta eſſet, (auulſi

ſunt

ſunt enim illi crines per ſummã iniuriã ac contumeliam, & præ mœrore ne partum elideret, metuebat) iniuriam iure perſequi ſtatuit, ſed dum in ea cogitatione verſatur, venit in mentem ad noſtros ante diuertere, vt Patrem quendam de re tota doceret. Is in templo dabat operam pœnitentibus, ſed venientem ad ſe feminam triſtem atque anxiam, euulſoſq. crines in manibus oſtentantem, iuſsit Pater in Crucifixi ſignum, quod ibi propoſitum erat, oculos mentemq. conijcere, ab eo enim fore, vt quemadmodum in ea re ſe gereret doceretur. cum illa paruiſſet, oculoſq. fixiſſet in Chriſtũ: ſubito ad æquitatem delapſa eſt, domumq. rediens donauit iniurias. Sed quoniã de hominum erga ſuos moderatores obſequio diximus, illuſtre eius rei exemplum prætereundum non eſt. Mons quidam ab oppido non procul abeſt, arboribus ad opacandum locum ita frequentibus, vt nihil pene ſolis admittant. eſt omnino locus relaxandis animis opportunus, atque huc ſæpe ſe recipiebat Epiſcopus Vaſcus, qui vt Collegis, qui tum aderãt, curarum requiem & aberrationem quandam à moleſtijs pararet, vetuit hoc nemus ſuo ſpoliari decore. Obijt ille poſtea, abieruntq. collegæ Valliſoletũ, nec tamen auſus eſt quiſquam viginti amplius annorum ſpatio, vel ſudem ex eo nemore decerpere. Intactum adhuc à ferro eſt, cum tamen & propter loci vicinitatem, & propter genus ipſum & copiam arborũ, nullis alijs vſibus à natura datum videatur, niſi ad domeſticos focos. Iam reliquarum religionum, quanta ſit cura quid attinet dicere? Piacularia grana per

ſtudioſe quærunt, eaque Roſarijs & Coronis inſerta
de ceruice ſuſpendunt. Quam Deus pietatem alit in-
terdum fouetque prodigijs. Petebat Indus à Patre
vnum aliquod ex his granis, cumq. ex eo quæreret
Pater, quid factum eſſet ei, quod nuper dediſſet, re-
ſpondit apud ægrum ſe reliquiſſe: nam cum morti
proximus eſſet, admoto ad corpus grano ſubito me-
lius habere cœpiſſe, ſed veritum ne in eundem recide
ret morbũ, acceptũ granũ noluiſſe reddere. Quadra-
geſima ineunte ad aſperſionẽ cineris tam multi con-
fluunt, vt quanquam ad primam vſque noctis huic
religioni pateat templum, alij tamen atque alij noui
ſemper accedant. De Luſtrali aqua quid dicam? cu-
ius beneficio veneficarũ ſceleri occurſum eſt, quæ cũ
ægros infantes curare non poſſent, penitus enecabãt.
noſtri autem deferre hos pueros iubent in templum,
dataque in potum aqua benedicta, recitatoq. ſacro-
ſancto Euangelio, multis quotidie ſubueniunt. neque
dies vllus eſt, quo non eius rei cauſſa complures in
templo noſtro verſentur. itaque quicquid luſtralis
eſt aquæ, exhauritur ab Indis, quotidieq. vaſa re-
plentur. Multa in hanc ſententiam afferri poſſent,
ſed ne longum faciam, vnum dumtaxat attingam. Fi
lius erat Indo, morbo vehementer obnoxius, ab eoq.
ſic accipiebatur interdum, vt fuſus diu ſine voce ac
ſine ſenſu iaceret. Parens eius morbi culpam ſe ſu-
ſtinere dicebat, qui multa peccaſſet, non puerum,
quem cognoſceret innocentem: ſublatumque in hu-
meros ad Sacerdotem noſtrum detulit, qui eum de
more curaret. Vbi puerum Sacerdos aſpexit, mor-

tuum credidit, idemq. ſacrificij miniſter, qui de noſtris erat. qui cum iuberetur à Patre exhibere puero aquam, Nihil eſt, inquit, opus: puer, vt uidetur, exceſſit. Pater tamen aquam iuſsit afferri, & ad os admoueri, ea vt labrum attigit, redire continuo ad ſeſe puer, & quodãmodo uiſus eſt reuiuiſcere, nec prius elatus è templo eſt, quam omnino conualuit. De filiorum baptiſmo quam ualde laborent, præſertim ubi in lucem editi periclitari cœperint, uix dici poteſt. quibus ut uitam prorogent ad baptiſmum, experiuntur omnia. Inda cum parum feliciter peperiſſet, vbi præter ſpem atque opinionem ſpirans adhuc excuſſus eſt fœtus, familiares ſubito illum ad nos deferunt, alta iam nocte. fores feriunt frequenti pulſu. cœnam ad id tempus propter occupationes extraxerat is, qui vocabatur, Sacerdos. ianitor ſermonis ignarus quid quæreretur renunciare uix poterat: Pater tamen impulſu diuino (rem enim dominus gubernabat, ne puerilis animæ iactura fieret) ſine ulla mora ad ianuam properat. uidet cuius cauſſa tantopere feſtinetur. & ad baptiſmum adduci puerum agentem animam, paratamq. afferri aquam, ne qua ſit mora. mirum dictu: baptizatur illico puer & moritur. Si paululum in percunctando moræ uocatus pater interpoſuiſſet, ſi prompta non fuiſſet aqua, ſi reliqua non expedita, amiſſa eſſet anima pueri: ſed nimirum fugientis ſpiritus reliquias fouebat is, qui eum ſibi delegerat Deus.

Iam Sanctorum Cinerum reliquias ſumma quadam ueneratione colunt. Quod tum maxime declarunt,

 rarunt,

uarunt, cum Metropolitanæ Eccleſiæ placuit, ſui Paſtoris corpus, in ea, quam diximus, migratione repoſcere. ea enim conditione dederat, ut cum repeteret, redderetur. Verum Indorum non ignara pietatis, id quam occultiſsime transferendum curabat. Res agi tam occulte non potuit, vt ſentire fraudem vigiles Indi non poſſent; cum tamen noſtris, apud quos illi ipſi, qui ad exportandum corpus venerant, pernoctarunt, res eſſet occulta. Itaque feſtini Indi noſtras in ædes. omnia ſubodorari ac perueſtigare, ne qua fraude illius Beati cineres tollerentur. egerunt apud nos vigilias mille circiter Indi, duabus tribuſue noctibus continenter, tanto ſilentio, vt ne conſulto quidem deditaque opera à noſtris exaudiri poſſent. cumque per tenebras aliquandò, qui furtim corpus tollerent, acceſſiſſent, Indorum lapidibus territi, nuſquam amplius comparuerunt. Indi vt ſine cura eſſent, ingenti ſaxo, quod ſua ſine opera moueri loco non poſſet, corpus ſibi defendendum putarunt, factaque manu, tanto ſilentio miræ magnitudinis molem conuehunt, vt vectores ducenti cum eſſent, neminem tamen exaudires: & tamen pridie in ea commouenda, quoniam alia res agebatur, ruere omnia præ clamoribus videbantur. Venerunt ad Patrem ardentes, ſummis precibus poſtulantes, vt per eum ſibi liceret, Epiſcopi corpus ſaxo illo contegere. Pater ex feneſtra placide eos à ſe dimiſit, quod diceret ad inſequentem vſque lucem, rem integram reſeruari. nocte illi per vigiliam exacta, vbi illuxit, redeunt certatim omnes, vt ſcrutentur & rimentur

omnia

*omnia, an extractum corpus eſſet, an ad id acti cuniculi, an fraus denique doluſque ſubeſſet. Et quoniam reficiendus erat in templo paries, vetuſtate collapſus: iccirco per hanc occaſionem taciti coeuntes, ſuum quiſque lapidem congeſſerunt, maximoq́. aggere cinxere locum, & in ſummum aggerem ingens illud impoſuere ſaxum. ita ſe omni metu ac ſolicitudine liberarunt. Quid dicam de domandi corporis ſtudio? quid de pœnis, quas Indi tam alacriter ſubeunt; vt nulli hominum gereri primas deferant. Cum illis pœnæ nomine imperatur inedia, intelligunt etiam ad inediam adiungendam eſſe verberationem. Ac Quadrageſimæ quidem diebus frequenter ad ædem noſtram de nocte prodeunt, expediti flagellis, quibus ita ſe lacerant, vt ſpectantibus miſerationem ſimul & horrorem incutiant. Sexta quaque feria, per idem Quadrageſimæ tempus ædes noſtra verberantium turba completur. breuis ad eos habetur oratio tempori accommodata. qua abſoluta, quinquageſimus Regij Vatis pſalmus canitur ad hydrauli ſonum: ſunt enim Indi muſicæ peritiſsimi. atque ad eum cantum ſecum ipſi flagris verberibusque decertant, tanto cum ardore, vt id eis ſpatium, quamuis plerumq́ue ſit longius, perbreue videatur. Mulier cui donauit hanc Deus mentem, vt virginitatem perpetuo colat, quæque hucuſque ita ab omni ſe libidinis contagione liberam ſeruat, vt ſi modo nata eſſet: ea igitur quamuis ſit manu altera diminuta, & præterea morbo inopiaque prematur, totum tamen Quadrageſimæ tempus, tanta epula-*

rum exigit abſtinentia, vt vel panis illi ſit in deliciјs.nec tamen verberandi conſuetudinem intermittit, quin etiam propter debilitatem dextræ, læua ſe cædit. In tanta hominum innocentia effert ſeſe tamẽ interdum magnitudo imbecillitatis humanæ, vt habeat Deus, vbi diuitias ſuæ bonitatis oſtendat. In eã rem plurima poſſent afferri, quæ noſtris Sacerdotibus dum luſtrandis animis occupantur, quotidie accidunt.ſed erit ex paucis coniectura facilis ceterorum. Senex erat iam ætate confectus, vitijs omnibus nobiliſsimus, qui quo liberius ad omne flagitium peccatique genus accederet, aditum ſibi cæde coniugis ante muniuit. Verum cum deferbuit ætas, & ſenile frigus acceſsit, tanquam ex alto excitatus veterno, caput extulit, & anteactæ vitæ recordatione perculſus ingemuit: cœpit ſibimet diſplicere cũ ſe aſpexit, & quæ diaboli fraude commiſerat, Deo opitulãte damnare. Sed ne prædam vafer hoſtis amitteret, augebat ad deſperationem uſque dolorem, propoſitaque ſcelerum tum magnitudine tum multitudine, omne miſericordiæ perfugium tollere conabatur. terrebat etiam impeditiſsima conſcientia, & labor propemodum infinitus, ſi ea vellet confeſsione retexere, quæ iã inde ab incunabulis tot annorũ anfractibus admiſiſſet. Iniecit Deus hanc illi mentem, ut cum abſens de noſtrorum in iuuandis animis diligentia cognouiſſet, confeſtim ad nos non ſine magno ſenectutis incommodo ſe conferret. Cum fere diẽ integrũ expectaſſet, dum pœnitentium multitudo deflueret, ſub veſperam ad Sacerdotis noſtri pedes, multis cũ la-

lacrymis ſe ſe abijcit, oſtendit quanto verſetur animus in diſcrimine, medicinam ſi qua ſit rogat, ſe quidem dicto audientem fore, nihilque quod præſcriptum eſſet, quamuis difficile prætermiſſurum. Monuit Pater peccatorum confeſſionem inſtituendam, repetitis ab eo tempore vitæ noxis, quo eas reticere in confeſſionibus cœpit. Erat id tempus, quo primum Sacramentum vſurpauerat pœnitentiæ: ſimulque rationem ei facilem tradidit ordiendæ confeſſionis, redigendique ſibi in memoriam, quæcumque peccaßet. Cum ad eam ille accurate ſe comparaſſet, & peccata in ſcriptũ ex ordine retuliſſet, tã exacte perſequutus eſt vniuerſa, vt Sacerdos quid præterea quæreret, vix haberet. Pœnitẽtis dolor is fuit, vt lacrymarũ copia vocem includeret. Poſt confeſſionẽ ea eſt oborta lætitia, vt auctus ſibi ſenex nouis viribus videretur. Pater iuſſit hominẽ annuo ſpatio interdum ad ſe redire, dieſq. præſtituit certos. paruit ille tam prompte, vt ex præſcriptis diebus nullum quin venerit, intermiſerit. quoties redibat, ſemper noui aliquid, quod exciderat afferebat: vt totum illud tempus in excutiendam præteritorũ memoriã contuliſſe videretur. is etiãnũ permanet in ſententia, tanta morũ commutatione, vt à pio ac religioſo cœnobita nil differat, obeũdis præſertim ſua volũtate pœnis, in quo paucos habet ſuperiores.

Erat Indus alius, cum ceteris vitijs atq. omni dedecore infamis tum ebrietate potiſſimum. hunc bene morata vxor egregiaq. Chriſtiana monebat aſſidue, caueret diuinas iras: ſed vbi ſenſit nullum admo-

nitio-

nitionibus relinqui locum, precata a Deo eſt, vt curam coniugis ipſe ſuſciperet, cœcamq. mentem pro ea qua ſolet benignitate, nullis etiam laceſſita meritis illuſtraret. Non ſpreuit diuina bonitas æquas mulieris preces. Vir cum maxime iaceret in luto, noctuq. ambularet in publico, ecce tibi ſathanas, cui ille ſe non ſemel addixerat, horribili moloſſi ſpecie, vaſto oris biatu ad deuorandum expeditus. ac niſi candidi quidam, vt ipſe teſtabatur, adoleſcentes, eximiæ pulcbritudinis accurriſſent, immanemq. belluã ab eius corpore cõtinuiſſent, confecta res eſſet. Hoc ille viſo perterritus, & penè alienatus â ſenſibus, ſimul ac commodum fuit, ſemianimus venit ad noſtros, adeo pauidus, vt quoties gradum faceret, ſibi in enormes illas fauces videretur incidere. Poſuit peccata cum deteſtatione fletuq. plurimo, vix vt fari præ ſingultibus poſſet. expiatione autem animi facta, abijt illa formido & ille pauor: eamque ingreſſus eſt vitam, vt nemini dubium eſſe poſſit quin id ei viſum diuinitus ſit obiectum. Non diſſimilis cuidam alij adhibita eſt admonitio. Is cum quinquennium viueret cum amica, & ad banc Dei iniuriam alias quotidie multas adiungeret, dum diluculo facit iter cum onerarijs iumentis, obuiam fit illi vir aſpectu tam formidoloſo, vt & iumenta perterrita metu diffugerint, & ipſe præ formidine relictis impedimentis, ad nos ſine pallio, pileoque transfugerit. recens hominis tremor, pallor, anbelitus, fidẽ rei quam viderat, faciebat. Noſtri eum ad confeſſionem deteſtationemq. vitæ præteritæ cohortantur. quæ cum ille

rite

rite dolenterq. feciſſet, ſenſit ſe ſibi quodammodo redditum, metuq. omni ſolutum. ita & amicas abegit, & vitam orſus eſt longe diſſimilem anteactæ.

Pellicem fouebat alius complures annos, magna cum coniugis offenſione: is cum ad confitenda peccata veniſſet, faciendum ſibi putauit Sacerdos noſter, quoniam non ſatis ad id paratũ offenderat, vt eum ſine abſolutione dimitteret. iuſſit ad certum tempus extrudi pellicem ſi vellet abſolui, eoq. exacto ad abſolutionem redire: addiditq. per id ſpatium inediã in ſingulas hebdomadas tridui, et cum inedia verberationes & preces, ad placandum cœleſte numen ſuis ſceleribus violatũ. fecit imperata perſtudioſe, ſubijtq. quam diuturnas pœnas præſcripſerat pater. eæ fuere ſemeſtres, quibus æquo conſtantique animo ſuperatis, quo eum magis in inſtituto Dominus confirmaret, viſum illi obtulit lætum ſimul ac formidoloſum. Aiunt Indum cum nocturnæ quieti ſe daret, præcipuo quodam ſtudio Deo Deiq. matri ſe commiſiſſe: tum in ſomnis viſum ei eſſe fratrem paruulum iam vita functum, admirabili ſpecie atq; fulgore, albis amictum veſtibus magni pretij, qui fratris vitam grauiter accuſans moneret, ſi illuc vellet, quo ipſe peruenerat, peruenire, aliam vitam viueret, ſtuderetq. quæ tam licenter peccaſſet, idonea pœnitentia delere. Tum ex fratre quæſiſſe Indum, vbi tandem ageret, reſpondiſſeq. fratrem, in regione peramœna, plena voluptatis, cum lætis puerorum agminibus, quorum dux & ſignifer eſſet S. Michael: voluiſſeq. fratrem fratri, puerorum gloriam ſpectan

dam

*dam offerre.tum Chriſtum apparuiſſe velut actum in Crucem minaci vultu, qui ſic hominem obiurgaret. Huc olim tua cauſſa conſcendi, ſed huc iterum tua me ſcelera & improbitas agit.qui ſperes veniã miſer? & hanc ſedem & locum beatorum, ſi vitam ducis iſtiuſmodi? Exin acceſſiſſe præſtanti forma mulierem Dei parentis ſimilem,plenam ſplendoris, Apoſtolorum principibus comitatam, quæ ſupplex filio pro Indo meliora promitteret: addidiſſeq. Petrum admonitionem ſuam,minitantem ni ſe ipſe corrigeret,nunquam ſe ei cœli aditum aperturum. Indus enim cum reprehenderetur à coniuge,hoc iactare ſolitus erat, quando Cœli ianitor Petrus eſſet,ſibi nihil eſſe timendum,qui Petri nomen referret. quocirca monuiſſe Apoſtolum aiunt, vanum illi futurum Apoſtoli nomen, ſi cum nomine vita pugnaret:fore autem ſi præterita caſtigaret,vt B. Mariæ deprecatione veniam facillimam impetraret. Sed vt ſciret,qui locus ipſum obita morte maneret, pauliſper expectare iuſſiſſe: Petroq. cum ceteris abeunte, ſubito adoleſcẽtem affuiſſe perpulchrum, angelico ore, candidoq. veſtitu.ab hoc Indum præhenſa manu,cæcas eſſe per regiones ad lacũ deductũ horribilẽ,vbi dira ijs animis tormenta,qui ſine pœnitentia ex humanis corporibus exceſſiſſent, admouebantur.in itinere autem quendã occurriſſe dæmonẽ, qui Indũ comprehenſum,ſuũ diceret,iure mancipij, ac famulatus.qua iniecta formidine Indum cœpiſſe flere,eoſq́. beatos,quos antea viderat, implorare: ſed eſſe ab Archangelo Michaele illius cohortis Im-*

*pera-*

peratore, quam frater oſtenderat, ſubleuatum. Exin factum iter in amœnam iucundamq. regionem, puerorum cœtu refertam, & in alias deinceps pulchriores, quas ſplendidiſſima iuuenum virginumq. cohors incoleret. dataq. optione, vt ex ijs locis, quem mallet, eligeret, tum demum ducem itineris auolaſſe.

Hoc viſum Indum diu ſolicitum habuit, præſertim quod extremo illo tempore, quod definierat Pater, occurrerat. Continuo igitur ad Patrem aduolat, & vniuerſa, quæ vidiſſet exponit. Expiat confeſſione à ſceleribus animum, tanto cum dolore vt lingua præ lacrymis obmuteſceret. Sed is dolor magnæ illi fuit lætitiæ ſeges atque materia, vt iam tum gaudia illa, quæ pœnitentibus ſunt parata, præciperet. Poſtea religionis nomine quatridui inter hebdomadam ſibi ieiunium indixit, cum tamen Indis propter viriũ imbecillitatem, perpetuoſq. labores, vel vnius diei ſit ſatis. quare & per Pontificia diplomata, nunquam niſi Paſchatis Natalisq. Domini peruigilijs, & ſexta quaque Quadrageſimæ feria, ieiunij lege tenentur. Hic igitur quanquam diuturnis ſe laboribus atterit, eam tamen, quam dixi, perfert inediam, cumq. aliquando alio illi operæ cauſſa migrandum eſſet, vbi per æſtum ſine valetudinis incommodo ferri non poteſt inedia, poſtulauit à coniuge, vt ieiunia illa ſubiret ipſa pro ſe: quod ab vxore perlibenter eſt factum. eſt enim hoc Indis familiare, ut uirorum pœnas, coniuges ſponte ſubeant, cum eas ſubire uiri ipſi non poſsunt, uiciſſimq. uiri cum illæ nequeunt. idque maxime cerni licet in morbis obituq.

tuq. coniugum, ut alter ſubeat, quod perſoluendum alteri fuerat. quin ſi prius morbus aut ipſa mors occupet, quam alter irrogatas ſibi a Sacerdote pœnas explerit, explet ille qui ſupereſt. eademq. inter filios & parentes eſt charitas. Sed vt eo reuertatur, vnde aberrauit oratio, mores ſuos ſic exuit Indus, vt & ſingulari animi ſummiſſione, & præcipuo ſtudio virtutis ſatis oſtendat, viſa illa fuiſſe diuina. Indus alius omni vitiorum genere affluens, nihil de ſalute ſolicitus, cum aduerſis ſæpe rebus admonitus, nunquam tamen ad officium ac iuſtitiam remigraret, dum cædendæ materiæ cauſa, in ſummo iugo conſcendit arborem, duros inter ſilices præcipitatur incautus, tã infeſto caſu, vt contritum putarent omnes, ac ſine controuerſia iam mortuum. Iacuit exanimatus integrum diem. quo tempore ſe vidiſſe narrabat, ſuppliciorum acerbitatem ac multitudinem, quæ tum in ſceleratorum regione apud inferos, tum in igne purgante ab humanis animis perferũtur. negabatq. quicquam in hac vita cum ijs cruciatibus conferendum eſſe, vinciq. officium linguæ ſuppliciorum magnitudine. Vt ſibi redditus eſt, deduci ſe iuſſit ad noſtros, vbi ſigillatim peccata omnia cum dolore confeſſus, caſtigatoq. vetere luxu, nouum induit hominem. Confirmata iam valetudine, præcipuo ſtudio colit innocentiam, pœniſque voluntarijs delere ſtudet vitæ præteritæ turpitudinem. Conſtantem facit hominẽ memoria eorũ, quæ apud inferos vidit. ea ſemper verſantur ante oculos, eaq́. de cauſſa, eſt plerumque pauidus atque attonito ſimilis, vt vel

eo tacente vultus ipſi teſtentur, quam vera fuerint illa, quæ vidit. Atqui hi ſunt præcipui (nam ſingulos colligere eſſet propemodum infinitum) animarum fructus, qui in his locis è noſtrorum laboribus capiuntur. Qui quo ſint vberiores ſine vlla hominum arrogantia, diuina comparatum eſt ſapientia, vt toto quadriennio, quo hic noſtri fuerunt ſæpe rebus exercerentur aduerſis. Sed Indorum pietas eſt ſolatio, & ſingularis in noſtrum Ordinem obſeruantia. Conceſſum eſt illis, vt templum noſtrum, id quod vehementer optabant, inſtaurarent. id ipſi à fundamentis propemodum refecerunt. nunc ædes quaſdam ad noſtrorum habitationem adiungunt, tanta cum beneuolentia ac voluntate, vt operæ vix vllis perſuaſionibus induci poſſint, vt aliquid loco mercedis accipiant. Interdumque homines fere quingenti, cæduam materiam ferunt ad fabricam: è feminis viriſque promiſcue, intextis è flore coronis, vt indicent quam hilares ſuam nobis operam nauent: nec abſunt tubæ vexillaque & id genus alia gratulationis indicia, vt plane nulla re alia duci videantur, niſi vt hanc nobis domum quamprimum extruant. Accedit Gubernatoris humanitas, qui cum ſit Indus, nec primarijs concedat Hiſpanis, ſiue re gerenda ſiue virtute; fautorem ſe nobis præbet in primis, multo magis de noſtra cauſa commodiſque ſolicitus, quam nos ipſi. Is palam prædicat, natiuos incolas tum demum viuere Chriſtiane cœpiſſe, cum huc Societas penetrauit. id ſi quid eſt, quoniam Dei totum eſt, tum ei

gra-

*gratias agimus, tum nihil noſtræ laudi aſſumptum arbitramur. Sed de Mexicana Prouincia ſatis. Nunc quoniam in Aegyptum à Pontifice Max. aliqui de Societate ſunt miſſi: reliquum eſt, vt ea quoque de re his extremis litteris nonnulla dicamus.*

# AEGYPTIACA EXPEDITIO.

MEmphis, *quam Alcayrum vulgus appellat, vrbs eſt Ægyptiaca Turcicis ſubiecta Regibus: amplitudine nobilis, frequentia celebris. ſunt in ea Chriſtiani complures, qui & Cophti & Chriſtiani Præcincturæ vulgo dicuntur. quamuis enim per lauacrum regenerationis renati ſint, Iudæorum tamen ritu præputia ponunt, & veteri quodam errore circumciſionem vſurpant, vt hinc maxime appellatio illa iocoſa fluxiſſe videatur, quod præcinctura cinguloq. tenus Chriſtiani ſint, cætera ſiue Turcæ, ſiue Iudæi. His Alexandrinus Patriarcha præeſt, cui diuinis in rebus omnis quoque ſubijcitur Aethiopia, quam & per Memphiticos adminiſtrat Epiſcopos. Numerat Ægyptus quinquaginta circiter Cophtorum millia. Sed fere innumeros Æthiopia. Anno huius ſæculi tertio ac ſexageſimo Pio iiij. Pont. Max. per Societatis homines Memphitica primo tentata*

eſt

*eſt expeditio, ſed ea ferme otioſa atque irrita fuit, & ſi annuo ſpatio ( tamdiu enim ibi noſtri fuerunt ) laboratum eſt. Proxime autem nobilis Memphi negotiator magna auctoritate vir, & regionis linguæ bene peritus, qui poſtea Gallicæ nationis factus eſt Conſul ( habent enim hic tum Veneta, tum Gallorum natio Conſules ſuos, qui iuris dictionem in ipſas habent ) agere cum Patriarcha cæpit, vt ea iterum expeditio per eoſdem homines tentaretur, ſperabat enim, & auctoritate iam parta, & Chriſtianorum erga ſe obſeruantia atque amicitia fore, vt ea gens ad Eccleſiæ communionem, à qua iam eſſet annos propemodum mille ſeiuncta, reduceretur. Et quoniam apud Maronitas verſari aliquos de Societate cognouerat, cuius amantiſſimus ſemper fuit, Patriarchæ facile perſuaſit, vt eos Memphim per litteras euocaret. Interim Romæ Summus Pont. de re tota fit certior. nihil tam inſiſtendum Pontifici viſum, nihil è re Catholica magis, vrgente præſertim Cardinale S. Seuerinæ, cuius fidei & tutelæ Ægyptiaca commiſſa gens eſt. Itaq. litteræ ad noſtros dantur in Montem Libanum, vt ex ijs Sacerdos vnus ſe Romam referret; alter Memphim ( duo enim ſacerdotes erant ) cum miniſtro comiteq. diſcederet, qui vt inchoatas ibi res & inſtitutas offenderet, ita Romam ſignificaret: inde enim remiſſum iri, vel qui in vrbem redierat Sacerdotem, vel aliud eiuſmodi ſupplementum. Quinto nonas Octob. anno MDLXXXII. Sacerdos ille è Monte Libano profectus eſt Memphim, exceptuſque inuſitatis officijs á viro clariſſimo Paulo Mariano, quem po-*

ſtea conſulem factum eſſe diximus: deduxit illum Conſul ad Patriarcham, à quo ingens quoque facta eſt gratulatio, laudataq. Summi Pontificis egregia voluntas, qui ſe per homines certos tam diſiunctis locorum interuallis vltro compellandum exiſtimaſſet, viciſſimq. par ſignificata voluntas, vt cum ſuis ſecumque de religione ageretur. Nec ſibi defuit Pater, quominus aliorum quoque animos exploraret, eoſq. non longe abeſſe ſenſit à Regno Dei. ſed quoniam deerant Pontificiæ litteræ ad Patriarcham, agi cum eo tanquam ex Apoſtolici Viſitatoris auctoritate non poterat, neque cogi licebat ſynodos, vt poſtea licuit. Interim ille Romam de Patriarchæ mente, ſtatuque rerum omnium accurate perſcribit. cumq. in ea eſſet ſententia, vt ſuſcipienda prouincia videretur, Sacerdos ad eum deſtinatus eſt alter, cum Pontificijs tum ad Patriarcham litteris, tum ad noſtros, quos ad inſtituta perſequenda Pontifex hortabatur. Noſtri Pontificium diploma, Patriarchæ vna cum Conſule reddiderũt, quod ille oſculo veneratus, verticique de more gentis imponens, eius ſententiam requiſiuit. cum ex noſtris totam mentem Pontificis cognouiſſet, noua illa Sanctiſſimi Patris humanitate delectatus, in animo ſibi eſſe dixit ex Epiſcopis viriſque principibus cogere frequentem ſynodũ, quò conſtantius ac firmius, diſputationibus agitata veritas, teneretur. Nec aliter fecit, ac dixit. In menſem Decembrem, qui ab aduentu noſtrorum erat octauus, indicta ſynodus eſt. cumq. ad dictam diem conueniſſent Epiſcopi, principeſq. viri, inſtituta ſynodus eſt apud noſtros.

No-

*Noſtri, poteſtate dicendi facta, docent initio, ſe à Summo Pont. eo conſilio miſſos, vt opinionum varie tate ſublata, errorumq. depulſa caligine, vna omniũ fides, vna omnium eſſet de religione ſententia. dole re autem ſe vehementer, quòd ea natio, quam Beatus olim Marcus Chriſto genuerat, ab Romana receſ ſiſſet Eccleſia. Eius diſiũctionis occaſio fuit, Cõciliũ alterum Epheſinum, quod Dioſcorus coegit Epiſcopus. quod ipſum noſtri docere conati ſunt nec fuiſſe legitimum, nec dignum nomine & appellatione Con cilij. In eo enim receptam eſſe Eutichetis inſaniam, duas negantis in Chriſto naturas. quã hæreſim Calcedonenſe Concilium è ſexcentis ac triginta Patribus, Leone primo Pon. Max. ſumma conſenſione dãnaſſet. quo facto eorum maiores, homines minime malos aut certe non doctiſſimos, idẽ eſſe ratos duas naturas in vnã verbi coniunctas hypoſtaſim, ac duas cum Neſtorio hypoſtaſes copulare, id quod antea Epheſinũ legimus exploſiſſe Cõciliũ: idcirco eos ſeſe à cætu Catholico ſeiunxiſſe. atque inde conſequentium errorum fontem ac ſeminariũ extitiſſe. Quod vt tollatur implorato primum diuino numine, & ſacrarum litterarũ monumentis & Conciliorum decretis, & firmiſſimis ſanctorum Patrum teſtimonijs facile probatum iri; duas copulare in Chriſto naturas in vnam verbi coeuntes hypoſtaſim, ſine vlla tamen diuiſione vel confuſione: non modo Neſtorianũ non eſſe, vt ſuſpicabantur indocti, ſed nihil eſſe magis Neſtorio ipſi contrariũ. Hic illi in noſtrorum vultus atque ora defixi, tanquam ea primũ ad aures accide rent, vehementer admirabantur, quippe craſſiſſimis*

circumfuſi tenebris & omni magiſtrorum doctorumq. præſidio deſtituti. Patriarcha enim a teneris annis in ſolitudine vitam egerat, in ea ipſa, quā olim dicitur coluiſſe Macharius, atque ob hanc cauſam ne ille quidem litteram ſciebat vllam. Epiſcoporum autem multorum par erat inſcitia. vix apud eos ſanctorum Patrū liber, vix litterarū monumenta erāt, vnde præcepta peterent Chriſtiane viuendi. volumen dumtaxat neſcio quod latebat in angulis, ſquallore obſitum, exeſum vetuſtate, quod illi Patrū confeſſiones appellabant, indoctis fabulis ſomnijſq. permiſtum: ex quo ipſo, vt ex nonnullis alijs Arabicis libris, Noſtri, quicquid ad ſtabilienda firmādaq. Eccleſiæ Catholicæ dogmata faceret, decerpſerunt. rationumq́. ſummam atque argumentorum pluribus codicibus deſcribendam, quam paſſim mox diuiderent, & ſapientiſſimo cuique ederent, curauerunt. Quare ſic inopes a ſcientia doctrinæq. præſidijs, cū ad ea, quæ obijcerentur à noſtris, non haberēt quod reſponderent, moram aliquam poſtularunt, dum in ſuis ipſi rebus hoſpites, quid ipſorum maiores ſenſiſſent, quidue haberent in ſcriptis perueſtigarent. Ita primo die miſſa ſynodus eſt. Interim illi in indagan da veritate ſoliciti, ſæpe noſtros conuenire, ſæpe rogare, quid cum Eccleſia Catholica ſentiendū, quid loquendum eſſet. Noſtri ex altera parte docere, quam vehementer Romana ſemper Eccleſia omnē deteſtata ſit hæreſim, tantumq. abeſſe, vt ſtultitijs Neſtorianis indulgeat, vt in eum potius & in eius ſectatores grauiſſimis anathematis animaduertat. contra vero Alexandrinum amplecti Cyrillum,

vna

*vna cum Epheſino Concilio primo, cæteriſq. concilijs tum ſuperioribus tum conſequentibus, quæ modo ſana & legitima numerentur. nec quia duplicem Eccleſia noſtra fateatur in Chriſto naturam, in vnã verbi coeuntem ſine vlla permiſtione perſonam, iccirco duas quoque hypoſtaſes ac perſonas inducere. nec enim vt in auguſtiſſima Trinitate liquido cernitur, idem valere naturam atque perſonam, quippe in ea vnam ſimplicem ſuiq. ſimillimam eſſe naturã, & tamen tres inter ſe diſtinctas & ſeiugatas hypoſtaſes: ſic in Chriſto vnam quidem hypoſtaſim eſſe diuini verbi, geminam tamen reperiri naturam, alteram, quam iam inde ab æternitate habet à Patre, alteram, quam in plenitudine temporis ſumpſit ex matre. His alijſq. rationibus, quas referre non eſt neceſſe, priuſquam denuo ſynodus cogeretur, veritas Catholica firmabatur. Vt autẽ coacta denuo ſynodus eſt, affuitq. Patriarcha & Epiſcopi quinque, Abbateſq. cœnobiorum, alijq. ex vniuerſa natione primarij viri triginta, quæſitum ex ijs eſt, quid aduerſus ea, quæ ſuperiore conuentu obiecta eßent, afferrent: reſponderunt ſuos ſe libros annales peruolutaſſe, atque ex eorum fide doctrinaue ſibi certum eſſe, religionem quam à maioribus accepißent, nihil immutare; imo quiduis potius perpeti, quam vel tranſuerſum vnguem à patria religione diſcedere. Tam inopinata reſponſio mœroris illa quidem multum attulit noſtris, deſperationem vero nullam perficiendæ rei. excitauit noſtrorum animos Deus, vt acerrime pro veritate pugnarent. Itaque pro re nata dicere exorſi; Si veſtræ inquiunt, hiſtoriæ ve-*

*ſtriq. libri ea continent, quæ cum ſanctiſſimis Concilijs Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſinoq. primo conſentiunt, nihil immutetis licet de patrijs inſtitutis atque ſententijs ſint ea vobis oraculorum inſtar, nec enim ab ijs Romana diſſentit Eccleſia. nunc quoniam proximo conuentu, & ſacris litteris & ſanctorum Patrum auctoritate effectum eſt, ea à Patrum & Conciliorum abhorrere doctrina, cum duas Chriſto naturas denegare, nihil ſit aliud, niſi miſcere ac perturbare vniuerſa, & eodem ſimul negare mendacio, diuinum verbum humanam induiſſe naturam, id quod nec veſtræ nec catholicæ ferunt aures: animaduertendum vobis eſt, vtrum malitis in errore ſempiterno perſeuerare, & committere vt indocta veſtrorum maiorum pertinacia, fraudi vobis & exitio ſit, an eniti pro viribus, vt in omni ſemper re veritas exquiratur, eaq́. reperta, cura omni ſtudioq́. teneatur. Ita in alterum menſem reiecta ſynodus eſt. Tertius poſtea habitus eſt Patrum Epiſcoporumq́. conuentus, in quo primum, rem Domino gubernante, Circumciſionis abrogata lex eſt. Deinde poſt longam ſex horarum diſputationem de duabus Chriſti naturis, tandem ſynodus vniuerſa inſtinctu afflatuq. diuino, concordiſſime ſanxit, quod ad rem ipſam attinet, vna cum Catholicis ſentiendum, anathematis pœna propoſita, ſi quis Chriſtum natura altera ſpoliaret. qui cum idem Deus, idem ſit verus homo; & diuinam habet à Patre iam inde ab omni æternitate naturam, & humanam ſumpſit ex Matre definitis temporum ſpatijs. Copthos autem, quanquam duarum abſtineant naturarũ appellatio-*

*lationе,non tamen ab ijs, Deum & hominem Chriſtum eſſe,negari: ſed ab ea loquendi ratione iccirco refugere,ne conſuetudo ipſa loquendi duas inducere videatur hypoſtaſes.Hic vix dici poteſt quantis gaudijs cumulati ſint noſtri, cum viderent errorem illum, qui tot ſæcula iam viguerat, tanta maiorum & poſterorum conſenſione retentum, tanta ſemper obſtinatione defenſum, tantarum porro turbarum originem ac ſeminarium, tandem hoc anno Kal.Februarij è cæcis mentibus diuinitus eſſe depulſum. Nam quanquam duas illi Chriſto naturas aperte non dabant, nec vllis rationibus adduci poterant, vt nobiſcum etiam verbo,quemadmodum re conſentirent, tamen veritatem ipſam attigerunt, & ſuum agnouerunt errorem, vt nihil iam reſtare videretur aliud,niſi vt eam ſuo quiſque chirographo confirmaret.Sed tranquillas propemodum res, incumbentibus ad concordiam animis,vnius hominis cupiditas perturbauit. Is fuit Patriarchæ Vicarius, qui cum eius dignitatis hæreditatem ſpe et cupiditate iam deuoraſſet,intelligebat ſuis nefarijs obſtare conſilijs,integritatem Catholicæ religionis, quæ tum fraudes omnes deteſtatur ac vindicat,tum Patriarcham non ferret alium, niſi quem aut Pontifex Max. aut leges inſtitutaq.iuſsiſsent.Itaq. dogma illud de gemina Chriſti natura ſcripto primum excipi,ſpatiumque ad cogitandum dari voluit:deinde ſi ita videretur,ſuam ab vnoquoque adſcribi ſententiam. Dimiſso conuentu,homo veterator ac callidus turbauit omnia, ac ne quis ſuam ſententiam adſcriberet,imperauit. Paucis intermiſsis diebus,inſtinctu impulſuque Sathanæ*

perſuaſum eſt etiam Patriarchæ, vt poſthabito ſynodi vniuerſæ decreto, neglectiſq. ouium periculis; præceps in vnius perditi hominis voluntatem ſententiamque ferretur. Itaque cum Patriarcham noſtri ſuis in ædibus conueniſſent, vt quæ in publica ſynodo definita eſſent, fixa rataque haberi vellet; is primo minus ſibi conſtare viſus eſt, tum comperendinare ac reijcere noſtros in aliud tempus: ad extremum rebus infectis abdere ſeſe in ſolitudinem ſuam, ac luſtrandæ Eccleſiæ nomine ab hominum conſpectu oculiſque ſubducere. Noſtris, quoniam Quadrageſimæ iam tempus obrepſerat, Patriarchaque tam ſubito euanuerat, faciendum viſum eſt, vt eum potius ad ferias Paſchales Memphi manerent, quam vt fugientem ac nolentem perſequi viderentur. Inter hanc moram, ecce tibi aduerſus Cophtos ſæua calamitas. Duo de primarijs abripiuntur in vincula. Alius qui & auctoritate, & diuitiarum copia ceteris anteibat, bonis omnibus ſpoliatus in diſcrimen capitis venit. Alij quoque ſuæ quiſque vitæ partim fuga, partim domeſticis latebris conſulebant. Quibus rebus Patriarcha cognitis, in interiorem ſolitudinem aufugit: ea fuit fuga trimeſtris & ab ipſis quoque familiaribus ignorata. Vt autem motus ille reſedit, pacatæq. videbantur eſſe iam res, tum demum patefactum eſt, vbi Patriarcha lateret. Noſtri opportunitatem temporis nacti, litteras ad illum dant, magno ſe eius deſiderio teneri, grauiterque ferre tantam animarum ouiumque iacturam. teſtari autem ſe Chriſtum IESVM vniuerſorum iudicem, nihil à ſe prætermiſſum eſſe, quominus hæreſes & ſchiſmata tollerẽtur,

vnam

*vnam eius deſiderari præſentiam atque auctoritatem, vt quæ in publico ſynodi conuentu magno labore decreta iam eſſent, perpetuis ſanctionibus firmarentur. Reſcripſit ad eas litteras Patriarcha, ſe quã libentiſsime rediturum, orareque vt quoniam Alexandrinam diœceſim cœpiſſet inſpicere, tantiſper Memphi ſubſiſterent. ea luſtrata tum demum ſuo aduentu confectum iri omnia. Sed cum futura vitæ ſpatia nulli homini homo, ſed multo minus ſenibus præſtare poſsit, moritur in reditu Patriarcha. quod quidem in diuinam prouidentiam referendum fuiſſe videbatur, alius enim ex eo numero Patriarcha, qui ſeſe nobis adiunxerant, ſperabatur; ac proinde nouus aliquis Vicarius, qui concordiæ confirmaret initia. Verum cum inter extincti Patriarchæ obitum, & creationem noui, interiectum ex lege debeat eſſe annui ferme temporis interuallum (aiunt enim ſuam decere Eccleſiam tamdiu, ſponſi interitum deplorare) iccirco noſtri Italiæ repetendæ conſilium capiunt, vt quo loco eius Eccleſiæ res eſſent Romam nunciarent, parati ſimul ad reditum, ſi qua inclinatio fieret ad concordiam. Cophti Primarij vbi de Patrum abitu cognouerũt, de communi ſententia ad ſummum Pontificẽ litteras dant, quibus ei partim gratias agebant, quod homines à quibus veritatem Catholicam docerentur, ad ſe miſiſſet, partim dolere ſe ſignificabant, quod ſuæ Eccleſiæ cum Romana ſede coniunctio, quæ Eccleſiarum omnium caput eſt & magiſtra, nulla fuiſſet. Eas litteras noſtri cum perferendas accepiſſent, pararentq. iam reditum, ipſo profectionis die, qui dies B. Mat-*

*theo Apoſtolo ſacer ac feſtus erat, albente cœlo; ecce tibi in ipſorum ædibus, Turcarum turba ferro ac telis inſtructa, cum perſonato duce ac ſignifero, qui quid agendum, cuiue inijciēda eſſent vincula, demonſtraret. Ea re peruulgata, ad tam nouum atque inopinatum ſpectaculum magna repente multitudo confluxit. Captiui ducebantur omnino quinque, multo cum ſatellite ad Proregem Turcam, quem Baſsàm nominant, in conſpectu luceque totius ciuitatis, paſſuum millia fere quatuor: eſt enim, vt diximus, vrbs ipſa perampla. Tres erant è Societe: duo è Franciſcana familia, qui quoniam ad noſtros diuerterant, & in eiſdem ſimul ædibus habitabant, in partem quoque laboris periculique venerunt. Quartus de Societate reſtabat, qui dum ſociorum profectionem adornat, præcucurrit in Alexandriam, vbi cum de ſodalium vinculis cognouiſſet, præ mœrore febri correptus interijt. Latuit tum hoſtile conſilium, latuit cauſa vinculorum: poſtea communis fama ſermoque fuit, totius calumniæ ſtructorem atque architectum fuiſſe Conſulis æmulum, qui dum Conſulatui ſpe atque animo incubat, vt Conſulem de ſuo gradu deijceret, detulit ad Proregem, populos ab eo contra Turcarum Regem ſolicitatos, habereq. à Philippo Rege mandata, redigēdi in eius poteſtatem Chriſtianorum millia ſexaginta, ad eamque rem præſto eſſe Memphi presbyteros: qui ſuam Regi operam Conſuliq. nauarent. Ita ipſe quoque Gallicæ nationis interceptus eſt Conſul, litteræq. ſimul domeſticæ ad inquirendum inueſtigandumque proditionis crimen. Poſtridie Præſidi ſiſtuntur omnes,*

nes, iiq. cuiates ſe eſſe dicerent, quidue in ea regione gererent, & quamdudum, & quibuſcum verſarentur, interrogati; reſponderũt ſe viros eſſe Religioſos habereq. iter in Palæſtinam, vt ea loca Chriſti veſtigijs nobilitata conuiſerent. quo cum penetrare cuiquam Chriſtianorũ, Summi Pont. iniuſſu non liceat, facta ab eo poteſtate, ſibi mandatũ, vt in Aegyptum excurrerent, & Chriſtianos illos qui ibi eſſent inſpicerẽt, deq. religionis Chriſtianæ rebus cum ipſis agerent. Acquieuit tum quidem Prorex, ſed cum litteræ ac ſcripta noſtrorum perquirerentur, prolatæ ſunt Principum Cophtorum litteræ ad Summũ Pon. quibus fidem faciebant, noſtros fuiſſe Memphi, eoſq. varijs in ſynodis ſuo cum Patriarcha de rebus agitauiſſe Chriſtianis. ſed nimirum clauſula fraudi fuit, erat enim in extremis, optare Cophtos vehementer, vt tandem vnum ouile fieret & vnus paſtor. Quæ verba ſecus interpretatus Prorex, ſubita ſuſpicione incenſus repente conſtitit, ac colore mutato; Nonne, inquit, prædiximus? noſtrorum videlicet notabat inſidias, qui in eas regiones eo animo conceſsiſſent, vt Cophtos, totamq. mox Aegyptum à Turcarum dominatione diſiungerent, eoſq. vni Regi Philippo vel Pontifici Romano ſubijcerent. Ergo tanquam manifeſtis indicijs expoſitis atque editis, quærẽdum præterea aliquid non putauit. Affuit tum Mahometicæ vanitatis Antiſtes, quem illi Muphtim dicunt. is vt Patres aſpexit, & ea quæ agebantur accepit, ſublata voce, Digni ſunt, inquit, iſti, qui viui cremẽtur. Prorex aſſeruatis Cophtorum litteris, Patres in anguſtũ ac tenebricoſum carcerem condi iubet,

*bet, pedore horridum, odore teterrimum. Ibi noſtri in ſumma rerum omnium inopia humi cubantes, diē quartum & vigeſimum animas prope obnoxias carnificis arbitrio ducebant: nihil enim tum morte certius, nihil ſecuri præſentius, ſi humanitus rem perpendas. augebat periculum, quod ne Veneto quidem Conſuli fas fuit, innocentium mortem ac ſanguinem deprecari: conatum enim noſtrorum cauſam ſalutemq́. ſuſcipere, Prorex omni ſermone aditúq. prohibuit. Cumque ad eum Conſul idem ſupplices dediſſet libellos, acerbius reſponſum tulit, caueret, ne ſe vlla in re, ſi ſaperet, interponeret: ſenſurū poſtea, quanta capitum abſciſsio foret, quanta ſectio collorū. Conſul hoc imperio deterritus non vrſit amplius, ſed de periculo ſe proripuit. Amici vero ſtudioſiq́ue Societatis, habito inter ſe conſilio, ſtatuūt calumniæ periculum pecuniæ magnitudine poſſe redimi, ſi ita Patribus videretur. Patres quoniam videbant ſuā perniciem cum magna Cophtorum calamitate coniunctam eſſe, metuebant enim, ne ſi quid eis mali ſua cauſſa accideret, abhorrerent in poſterum ab omni non modo Catholicorum conſuetudine, verum etiam voluntate ſtudioq́. Catholicæ veritatis: iccirco ne tot animas in diſcrimen vocarent, non recuſarunt, quominus liberatio illa, pecuniæ magnitudine tentaretur. Itaque die quarto & vigeſimo ab incluſione teterrimi carceris, vadimonio intra tertium menſem conſtituto, quinque circiter aureorū millibus transacta res eſt. Qua in re mirifice Copthorum in nos declaratus eſt amor. certatim enim negotiatores illi, quod perſoluendum fuerat, erogarunt; alij aliud*

*pro*

pro cuiuſque opibus ac fortunis nullo fœnore nulla mercede. quæ vero ob eandem cauſſam de ſuo Gallicæ nationis Conſul impendit, decem millium aureorum ſummam excedunt, nec modo rei familiaris, vir egregius, verum etiam honoris iacturam fecit, dignitate Conſulatus amiſſa. Miſsi è cuſtodia noſtri, agere per amicos inſtituunt, vt Sacerdos alter, ſaluo tamẽ vadimonio, Romam quamprimum redeat, cum ad ea, quæ acciderant, nuntianda, tum ad maturandum redemptionis argentum. Facta abeundi poteſtate, redit in vrbem Sacerdos alter, totaq. de re certiorem Pontificem facit. Pontifex confirmatis noſtrorũ animis, ac perſoluto redemptionis argento, alterum ad eum, qui remanſerat ſacerdotem diploma dedit, vt pacatis rebus, Memphi ſubſiſteret, expeditionemq. conficeret. adiunxit ad diploma litteras ad inſequentem Patriarcham, quibus fidem faciebat, noſtros à ſe vere miſſos, eoſq. vt ſe ipſum audiendos. Sed quoniam ab extincto Patriarcha menſis iam decimus agebatur, nec tamen de nouis comitijs vllus erat ſermo, ſucceſſeratq. nouus Prorex, qui ſignificauerat ſe iterum cauſſam velle cognoſcere: eſſe enim proximi Proregis auaritia labefactatum corruptumq. iudicium; iccirco Pater veritus, ne cum è priſtinis laqueis ſe exuiſſet, in alias ſibi iterum plagas magno cum Chriſtianorum periculo incidendum eſſet; inchoatis adhuc rebus conſilium reditus capit, vt quo loco res eſſent, & quæ ſe ſpes vtilitatis oſtenderet, Summum Pont. admoneret. Atq. hic Ægyptiacæ expeditionis exitus fuit, non ſatis ille quidem votis optatiſq. reſpondens, ſed tamen non omnis expers

*pers vtilitatis. quæ ſi non alia, hæc certe conſecuta eſt, quod noſtri præter diuturnæ peregrinationis incõmoda, ſquallorẽ carceris & vincula experti ſunt, & ea deniq; quæ ſuis tantũ reſeruat Dominus. Manent præterea præclari ipſorũ conatus, qui quãuis interdũ ſint irriti atq. inanes, tamen ne tum quidem eos ſua Deus mercede defraudat. non enim tam res ipſas remuneratur, quam voluntates. quin his ſæpe maiora debentur præmia, quod rerum fructu voluptateq́. fruſtrantur. Nã præclarum facinus, ipſum ſibi præmium & merces eſt, omnibus autem conniti viribus, vt ad exitum rem perducas, ſi non ſuccedit euentus, quaſi merces laboris amittitur. Verum ſi non is fuit, vt diximus, huius profectionis, qui optabatur, euentus; tamen ne mediocrem rem actam arbitremur, iacta ſunt fundamenta futuræ concordiæ, quam ſpectabat vigilãs Eccleſiæ Paſtor Gregorius. conciliati ſunt Catholicis ſummoq. Pontifici Cophti complures: & quidẽ ſapientiſsimus quiſq́. Cophtorum. Epiſcopi etiam aliquot principesq́. viri ab Eutichetis hæreſi, ad Catholicorum ſenſum mentemq́. conuerſi. Iacta denique per libellos in vulgus editos paſsimq́. diuiſos diuini verbi ſemina, quæ ſuo tempore non exiguos editura ſint fructus. Multa præterea ſeruitia, Dæmonis ac Turcarum ſeruitute liberata. Nam & animis per ſacramenta conſultum eſt, & ex Pontificio viatico, tum corporum neceſsitati ſubuentum, tum è vinculis exempti ſunt ſexdecim, qui ipſi poſtea Romam adducti, liberali item à pio Pontifice donati ſunt ſtipe. Patres vero ſumma fratrum gratulatione longo dierum interuallo recepti ſunt.*

*ſunt. eorumq́. reditus tanto nobis viſus eſt dulcior, quanto antea carcer acerbior; quin hoc ipſo iucundior, quod cum ijs eſſe & colloqui liceret, qui in animarum cauſſa tenebras & ærumnas carceris pertuliſſent. Atque hunc Aegyptiaca expeditio, ceteræque huius anni res geſtæ terminum habeant.*

*Videor mihi Patres Fratreſque Cariſsimi perſoluiſſe, quod debui. Veſtros vobis attuli fructus: vobis quidem, & ijs, qui ſitiunt animas periucundos: ſed multo iucundiores gratioreſq. cœleſtibus. qui ſi ſuper vno peccatore pœnitentiam agente tantis gaudijs cumulantur, quantis tandem perfundantur oportet, cum tot animas ad ſanctitatem genitas, ſed ſcelere perditas, ad pœnitentiam per vos viderint reuocatas? Faxit Deus, vt hæc illis gaudia perpetua ſint. quanquam id in illorum potius ſuffragationibus, quam in noſtris neruis poſitum eſt: illi implorandi ſunt nobis: non poſſunt noſtris non ſuffragari laboribus, qui & gratia valent apud Deum, & charitate ardent in genus humanum. Romæ ex Collegio Romano. Sexto Kal. Martij. M D LXXXVI.*

*Omnium in CHRISTO ſeruus.*

*Nicolaus Orlandinus.*

# ERRATA AVT OMNIVM
aut quorundam exemplarium.

| | |
|---|---|
| fol.9 ſeptimo Kal. Octob. | ſeptimo Kal. Decemb. |
| fol.81.ſpe queſtus | ſpe quæſtus |
| fol 211.tenniſsimæ | tenuiſsimæ |
| fol.218.hæretitorum | hæreticorum |
| fol. 223.adoleſcentum | adoleſcentem |
| fol.305.domeſtiæ | domeſticæ. |

79-173
Wm. Schal
8 Jan. 1979

HA586
J58a
1584